BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
B
59
NAPOLI

Digitized by Google

IOSEPHI MACRINI

I.C. NEAPOLITANI

DE VESVVIO.

ITEM

Poetica Opuſcula eiuſdem.

NEAPOLI

Typis Hieronymi Faſuli M.DC.XCIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo,

& Reuerendiſſimo Præſuli

ANDREÆ DE AQVINO

Epiſcopo Tricaricenſi S. P.

TVæ potiùs imputare debebit voluntati, quã præproperæ meæ ambitioni, quòd pauca hæc in lucem proferre ſim auſus, ſi quis eadem minus accepta, & iucunda

 ha-

habebit, harumq; chartarum le-
ctione offendetur. Enimverò ipſe
mihi numquam blandiri, aut aſ-
ſentari ſolitus, mearumq; vitium
non iniquus arbiter, nihil ab his
vnquam mihi promiſeram, nec di-
gna, quæ typis traderentur, exiſti-
mauerant, quippe in prima, impru-
dentique ætate exarata ad ſtyli ru-
dimentum. Tu autem cum menſi-
bus elapſis humaniſſimè nos, &
alios pleroſq; politiores homines in
villa tua amœniſſima, quæ apud
porticus Veſuvianos eſt, ſuſcepiſſes,
totoque ibi die apud te hilariter
habuiſſes: cum ad horas fallendas
hæc ſcripta exibuiſſem (& erant
loco, in quo morabamur conue-
nien-

nientia) non modò libenti animo legiſti, ſed vltrà meam expectationem digna iudicaſti, quæ publicè verſare, legiq; poſſent. Ego verò ſicuti pudore, ruboreq; ſuffuſus tributas à te lucubrationi laudes ſuſcepi: ità tanti viri iudicio, ſententiæq; omninò repugnare non ſum auſus. Et primò quidem in eo fueram anxius, ne quòd rem pluribus tractatam denuò retractarem, & recoquerem, lectoribus faſtidij potiùs, quàm iucunditatis occaſionem afferrem. Sed alia ex parte cum me vndequaque verterem nihil vnquam inueni, quod penitùs intactum nobis peruenerit, ac in quo noua commentari liceret. Quippe

ſi rerum ſtatum, digniſſime Præſul, diligenter perpendamus habet in hoc noſtra ætas aliquod infortunium, cum nihil ferè nobis reliquum factum ſit, in quo nos exercere ſcribẽdo, & ingenij ſpecimen (vti prudenter diſſerebas) edere poſſimus. Cuncta enim fundi literarij loca ita ſunt à prioribus occupata, vt iam inquirenti impenſius materia deſit, nullaque ſuperſit res, quæ ſit à maioribus intacta: imò quæ non ſit exornata, & cum multâ dignitate à nonnullis expolita. Nam ſiue Criticam Siluam ingrediamur, Deus bone! quid proximo tranſacto Sæclo Italici, vltromontanique Scriptores in Græcis, Latiniſque

Nullum est iā dictū quod non dictū sit prius inquit Terent. in Eunuch. in prologo vers. 41.

niſque authoribus nō obſeruarunt, non poliuerunt, non dilucidarunt? Philoſophiam, & grauiora aggredienti, ſicuti neque tutum eſt noua moliri, ita nec facilè erit Teleſij, Galilei, Gaſſendi, Carteſij, aliorumque, & Anglicæ, Florentinæq; academiæ acumina, & experimenta ſuperare. Iuriſprudentiam porrò omittimus: nam de ea tanta Neoterici compilarunt volumina, vt non modò minus neceſſarium, aut vtile; ſed neque decorum ſit plura ſuper addere; cum iam numero ſcribentium fatiſcat, & mole laboret ſua. Medicina ad eam amplitudinem euaſerat, vt nunc verſo conſilio, impoſturis pleriſq; pate factis,

non-

nonnulli in hoc inſudent, vt ſcilicet demonſtrent eius incertitudinem, & inconſtantiam, & firmiora argumenta in ea demolienda habeantur, quam in confirmanda. Miſcellaneam verò eruditionem, & Poeſim tot tantiſque ſcriptoribus exornatam videmus, vt rectiſſimè eas firmamentò innumeris ſideribus illuſtri comparemus. Vna ſupereſſet Hiſtoria, quæ infinitam, & propè perennem præbere poſſet ſelectioribus hominibus laboris occaſionem: nam ſicuti quotidie noua in hac orbis machina voluuntur facinora, ita noua quotidie materia hiſtorico ingenio enaſcitur, cui liberum eſt præterita,

ta, præſentia, & quandoq; etiam futura comprehendere. Sed illa noſtræ non eſt Mineruæ: neque enim omnium humerorum pondus eſt hiſtoriam conſcribere; nec quis ſi purgatum nactus ſit ſtylum, & excellenti præditus ſit ingenio, idcircò hiſtoriæ conſcribendæ par eſſe poterit, in qua minimam partem obtinet eloquens ſcriptio; plurimam verò obtinere debet rerum prudentia, geſtorum notitia, & conſiliorum, quæ in ſummis aulis agitantur participatio. Quid? quòd etiam hæc non ſine inuidia quandoque attentantur, tutiuſq; eſt poſteris relinquere, qui neque gratiam aucupari, neque odium incur-

rere præteritorum poſſunt.

Sed Agedum? quando iam omnia manu occupata nos poſteri inueniamus; idcircò ne fruſtra nati ſilentio contineamur? & quod tempore ſumus præuenti fortunæ cedamus, & inglorij abſq; nomine pereamus? Iuuat Præſul Illuſtriſſime vndequaque materiam nobis quęrere: iuuat aliquid audere, ſi non vt immortalitatem aſſequamur, ſaltem vt monumentum aliquod nobis paremus, vnde venturi vixiſſe nos olim ſciant.

Vtcumque tamen ſe res habeat par erat Vir Illuſtriſſime, vt tibi opuſcula hæc dicarem, cuius prodeunt autoritate, cuius cenſura pro-

bata ſunt. Tuo verò iudicio quis non libens acquieſcat? Scimus autem quam purgatæ prudentiæ ſis, & probari à laudatiſſimo viro ſumma voluptas eſt.

Quanta porrò doctrina, ſapientiaq; ſis præditus notum eſt Neapolitanæ urbi, notum Romanæ, dum non contentus multiplici tua eruditione, clariſſimiſq; ſcientijs, quas funditus calles; etiam nunc in prouectiori ætate ita viuis aſſiduus in lectione, vt nunquam ſat didiciſſe credas, & librorum helluo meritò dici poſſis. Complura verò hic de reliquis tuis laudibus dicere in animo mihi eſſet, niſi inde tuam modeſtiam offenſam iri dubitarē.

Illa certè ſine magno piaculò prætermittere non poſſum, ſingularem ſcilicet tuam erga omnes, & præcipuè eruditiores beneuolentiam, & comitatem, qua præcæteris illos amplexaris, & proſequeris, & probam animi pietatem, qua ab omni rerum ambitu fugiens rectè, beateq; viuere inſtituiſti. Tu enim Tricaricẽſi Diæceſi præpoſitus primò ibi per plures annos pauperes recreaſti, Eccleſias fouiſti, bonos mores ampliaſti, & (quod indigenæ prouinciales grato animo fatentur) non modo Eccleſiæ tuæ prouentus, ſed tui quoq; patrimonij opes in eas ſubuentiones, pioſque vſus erogabas. Poteras inde, &

meritis, & propinqua ſpe ad maiora prouehi, & cum Illuſtriſs. frater tuus Apoſtolicæ Cameræ ſummus auditor immatura morte occupatus purpureo galero eſſet ereptus; in non dubium ius ſuccedendi in ampliorem dignitatem promouebaris. Sed tu aulam, eiuſque incommoda peroſus, ſelectiori, recõditioriq; te vitæ reſeruans, non modo tui, & fratris meritorum fructum recolligere non curaſti; imò à Tricaricenſi Epiſcopatu te abdicauiſti ſolius dignitatis infulis retentis.

Faxit itaq; Deus vt te diutius nobis, & tecum præclaram hanc morum ideam ſeruet, tum bono-

rum ſolatio, cum etiam vt adoleſcere circa te optimis inſtitutis imbutos videas tenellos pueros, quos ex Illuſtriſſimo Duce Caſularum nepote amantiſſimo habes, quos ad tuam normam per longam ætatem componere valeas. Interea benignè hæc accipe, & ſi minimum, aliquod tamen officioſi mei animi tributum. Vale.

Tib Vir Illuſtriſſime

Addictiſſimus
Ioſeph Macrinus.

AMI-

AMICO LECTORI

CAROLVS SVSANNA

B. V.

SVccenſebis fortaſſe mihi, Lector amice, aut, vt minimùm, mirabere quòd Veſuuianæ huic hiſtoriæ meam adtexam præfationem, quæ ſuperuacanea videri queat, cum auctor ipſe operis ini-

tio

Digitized by Google

tio ſuam procemij loco præmittat. Sed ne ſuccenſcere, mirariq; pergas vltrò, per tuam humanitatem patere, vt tantiſpèr in hoc veluti veſtibulo conſilij mei rationem expoſiturus te detineam. Auctor hic libri ſui capite primo, compendiariam licèt, dicẽdorum graphicè delineatam exhibeat tabellam: attamèn de oblata ſibi occaſione, qua ad hæc ſcribendum animum appulit; tum quid cauſæ fuerit, cur ea tandiù, & tot per annorum ſeriem euulgare diſtulerit ne verbum quidem facere voluit. Quod igitur reticuit ille, hoc ego pro amicitia beneuolentiaq; noſtra, mihi ſumpſi: tùm vt gratam tibi (quod non de-

ſpero)

ſpero) rem facerem; tum etiam vt meæ erga eum obſeruantiæ qualemqualem per hæc ſignificationem ederem. Anni propemodùm ſunt viginti, ex quo Auctori plenæ pubertatis annos nondùm egreſſo, Veſeuus materiē ſcriptionis prebuit. Solito plus Mons hìc tùnc deſæuiens, nocte quadam intempeſta in flammarum globos tetro fumo miſtos, tonitrua, & fulmina, ignitos nimirùm lapides erumpens, à quibus noctes dieſq; perplures eodem fermè, tremendoque modo non deſtitit, ſubiectam ſibi planiciem totam ferè nedùm, & terga cinere operuit, fœdauitque. Qui nihil tale ſuſpicati altùm eo tempore dor-

miebant, excitati fragoribus hiſce (quippe quod & Vrbis huius ædes, ad iteratos ictus ut & propiora loca tremerent) priuſquàm de Veſuuio quicquam cogitarent, duas inter ſe inimicas Claſſes acritèr confligere in noſtro hoc Neapolitano Cratere putarunt. Poſtquàm verò vnde id eueniret deprehenderunt accolæ, Neapolim partim, partim interiora eheu quondam felicis Cāpaniæ, vt alias in terroribus huiuſcemodi fieri conſueuerat, petiere. Renouatus Veſuvij furor, vt imperitos, rerumq; Naturæ incapaces perculit, ita Philoſophis eruditiſq; Viris permultis anſam dedit, vt quæ meditati fuerant ipſi, quæque

ex veterum Scriptorū monumentis hauſerant, inter ſe conferrent, varioſque de eruptione hac miſcerent ſermones, vt quiſque in hiſtoria, Philoſophia, eruditorumque librorum lectione verſatus erat. Sed qui ſuprà cæteros emineret, præter vnum Macrinum, nemo fuit. Is planè literis omnibus excultus longè plura attulit, ediſſeruitque melius, quàm qui hæc attingere voluere; Eò præſertim quod ad Veſuuij radices prædium vitibus, multiſque fructiferis alijs arboribus conſitum, nec ſpernendi prouentus cùm poſſideret, atq; in eo Villam, eamq; peramœnam, ad quā frequens ei eſſet acceſſus, ſemperq;

noua veritus excidia diceret, ingeminaretq; carmen hoc:

Flammifero Villa heù nimiùm
vicina Veſæuo,

quicquid hactenùs de Monte hoc; ſeù philoſophicè, ſeù hiſtoricè ſcriptum fuerat, luſtrauerat curioſiùs, ſtudioſiùs inueſtigauerat. Adeò verò placuere amicis, quæ eruditè atque eleganter narrauit, deq; re illa egit ipſe, vt enixè rogaremus, quæ voce extulerat, literis conſignaret. Impetrauimus hoc: ſcripſit enim quæcumque tùnc nobis expoſuerat, ſua præter cogitata, quæ de induſtria proferre noluit; cauſſatus, quod in aliorum recitandis opinationibus nil, at in ſuis expromen-

dis

Digitized by Google

dis multum ineſset periculi. Arduum quippe erudito hoc, & cenſoribus multis referto Seculo, quicquid Philoſophicè fueris de incendij huiuſmodi cauſſis meditatus in publicum emittere. Quicquid enim de rerum natura, earumque cauſſis ab Auctoribus ad hanc vſque diem traditum eſt, pacatè nunquàm admiſſum fuit. Atq; vt facilè eſt ingenioſum ſe in aliorum ſententijs refellendis oſtendere; ità operoſum nimis verum inuenire, inuentum, validis eiſq; non conuellendis rationibus, atque experimentis confirmare. Hanc autem ità concinnatam vt nùnc prodit hiſtoriam, cũ Clariſſimis Viris Thomæ Corne-

Digitized by Google

nelio ſyncerӕ latinitatis hic, vt & melioris philoſophiӕ, bonarumque artium vindici acerrimo, itemque felicißimo, & vndecunq; doctiſſimo Leonardo à Capua, mihique etiam legenda cum obtuliſſet, probauere ſummoperè literatiſſimi hi Viri, miratiq; itidem fuere linguӕ candorem, vt quanquam hoc tempore proditum, Auguſti nihiloſecius exactũ ſӕculo faterentur opus. Impetrare tamen amicorum potuit nemo, vt ad ea excudenda adduceretur, aut eorum cuipiam id ſaltem munus permitteret. Intereà quӕ ſcripta expetebantur à multis cum in huius, aut illius manus, vt fors tulerat, atq; ab alijs ad alios

per-

peruenissent, res eò perducta eſt vt plagiarij aliquot de eis vſurpandis, ſibique tribuendis cogitarent, & velut ſua quædam iactare non vererentur. Ipſe verò ab amicis ſæpè admonitus, iterùm, ac ſæpius & monitus, & obiurgatus vt ſeſe à verterno hoc excuteret, nec ſua intercipi ſineret inultus; Quid, lector beneuole, quid putas ad hæc reſponſiſse ſemper? Nolle nimirum ſe (ea eſt eius modeſtia) quæ per iocum, & amicis ità iubentibus puerili quodam calore effuderat, priuatos egredi parietes: Aleæ plenum hac tempeſtate opus, qua omnes ſibi licere cenſent, quæcunque legerint adunco ſuſpendere naſo, in campos

Fa-

Famæ tenui adeò, curtaq; cum ſuppellectili prodire: Pœnitere ſatis ſe quod obſequens vt haberetur id ſibi ſumpſerit negotij, vnde coactus per typos ſuus in diſcrimen veniret honor. Tantam deniq; refractarij (vt ità dicam) capitis pertinaciam fregit, ſua qua ſuprà cæteros amicos eius pollet auctoritate Illuſtriſſimus Dominus D. Andreas Aquinas Tricaricenſis olim Epiſcopus Vir omniſcius, & de literis literatiſque omnibus meritus optimè; cui decus addunt eximium Chriſtiano dignæ Præſule virtutes omnes. Huic ergo cuius vnius imperio paruit auctor, acceptum feramus oportet aureum

hunc

hunc librum, quo caruiſſent, aut alterius cuiuſpiam nomine decoratum vidiſſent poſteri. Meum cæterùm non erit quicquam de libro effari, vt commendatus per me ad tuas perueniat manus. Satis quippè ſeipſe commendat, tàm ſi hiſtoricè, quàm ſi philoſophicè ex aliorum mente, ac etiàm ſi fabuloſè, ſeù poeticè loquitur: vtile miſcet dulci, & intèr florum amænitates rerum ſcitu non iniucundarum fructus decerpentur innumeri. Nec te minùs capient Poematum aliquot illiciæ, quas libro adnectit Macrinus meus. Eæ ſunt profectò, quæ cum ijs comparari meritò queant, quibus priſci Poetæ latium,

dum

dum ſtetit incorruptum decorarunt. Vtinàm verò ſe hiſtoriæ ſcribendæ, aut Poeſi colendæ totum ſe dedidiſset; non eſset hic hodiè quod aut antiquis, aut nouis inuideremus ex Europa tota Scriptoribus. Sed Fortuna hoc in ſolo ſæuo læta negocio plures eò adegit, vt cum anguſta eis domi res eſset, ſe quæſtuoſis per forenſem Iuriſprudentiam artibus mãciparent. Ex horum cenſu vnus eſt auctor noſter. Is enim ad Forum ſe transferens multis ab hinc annis cauſsis agendis, inſtruendiſq; eam ob cauſsam totus incumbit, nec alia meditatur, aut molitur. Eo tamen animo negocijs inſtat, vt omnium

cum

Digitized by Google

cum admiratione ſine thecnis, ſine offucijs, ſed ingenuè, vt benè moratum Virum decet ſuum exſequatur munus, ſibique ea propter omnium deuinciat animos: Quanquàm enim facie ſubfuſca, & primo aſpectu Stoicum quid ſpirare videatur, ſermone tamen adeò blando, eloquio tàm ſuaui, moribus tàm antiquis, vt velis nolis ad eius beneuolentiam miro, arcanoq; quodam modo pertraharis. Sed diutius quam par eſt te diſtinui. Vale, & libro fruere.

Illu-

Illuſtriſſimo, e Reuerendiſſimo Signore

IL Doctor Gioſeppe Macrino ſupplicando l'eſpone, come deſidera ſtampare vn'Operetta dell'Hiſtoria Veſuuiana, ſeù de Veſuvio vna con alcuni Opuſcoli Poetici; Ricorre però da V.S. Illuſtriſſima, e la ſupplica ſi degni concederli la licenza, e lo riceuerà à gratia vt Deus.

Reu. D. D. Emanuel Cicatelli videat, & in ſcriptis referat hac die 14. Ianuarij 1693.

Ioannes Andreas Siliquinus V.G.

Q. Ianuarius de Auria S. Off. Conſultor, ac ſuper impreſſione librorum Deput.

Illuſtriſſime Domine

COmmentariolum hiſtoricum de Veſuvio lociſque circummontanis, & Opuſcula Poetica Domini V.I.D. Ioſephi Macrini meæ cenſuræ commiſſa legi; nulla in his ſententia mihi occurrit, qua boni mores, integraque Chriſtiana pietas offendatur.

tur. Cæterum libellus, & ſtyli elegantia antiquis ſæculis compoſitus, quo latina eloquentia florebat mihi viſus eſt; & præterea hiſtoriam de his rebus ferè integram ſub oculos breuiter exponit. Quapropter dignum eum iudico qui typis tradatur, illumque iucundum politioribus hominibus futurum ſi ita tibi vir Illuſtriſſime addebitur.

Humillimus Seruus
Emanuel Cicatellus Præsb. ſecularis.

Stante ſupradicta relatione Domini Reuiſoris Imprimatur die 18. Martij 1693.

Io: A. Siliquinus V.G.

D. Ianuarius de Auria S. Off. Conſult. Deput.

Eti

Eccellentiſſimo Signore

IL Dottor Giuſeppe Macrino ſupplicando eſpone à V.E. come deſidera ſtampare vn libretto de Hiſtoria Veſuviana, vna con alcuni Opuſcoli Poetici; ſupplica in tanto V.E. ſi degni concederli la licenza, e lo riceuerà à gratia vt Deus.

Magnificus V.I.D. Ioſeph Valletta videat, & in ſcriptis referat.

Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.
Miroballus Reg. Iacca Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. 22. Octobris 1692.

Maſtellonus.

Excellentiſſime Domine

IVſſu Excellentiæ Veſtræ librum, cui titulus, Hiſtoria Veſuviana, & Poetica Iuris peritiſſimi, eruditiſſimiq; viri Ioſephi Macrini nō ſine dilectatione legi, ac perlegi, in quo nihil inueni quod vel Regiæ Iu-

riſdi-

riſdictioni, vel bonis moribus obſit, imo; & philologis vtiliſſimum; quapropter vt publicè edi mandetur cenſeo, ſi E.V. videbitur.

E.V.

Addictiſſimus Seruus
Ioſeph Valletta.

Viſa ſupradicta relatione imprimatur, & in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.
Mirobállus Reg. Iacca Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. 13. Aprilis 1693.

Maſtellonus.

Digitized by Google

Errata ſic corriges.

pag. 1. verſ. 9. *Tyrrenum*	*Tyrrhenum*
2. 8. *Sincerus*	*Syncerus*
7. 19. *Alcioneum Tiphęū*	*Alcyoneum Typhęū*
& vbicūq; Alcioneum, Tiphęum, corrige *Alcyoneum Typhęum*	
8. 3. *Tirrena*	*Tyrrhena*
ead. 8. *panegirico*	*panegyrico*
9. 4. *Sanazarius*	*Sannazarius*
10. 20. *infirmiorem*	*infirmiorum*
ead. vlt. *miſteria*	*myſteria*
11. 1. *Bocaccius*	*Boccacius*
ead. 2. *mithologia*	*mythologia*
19. 2. *vitiginijs*	*vitigineis*
23. 18. *pirorum*	*pyrorum*
ead. 21. *pirum*	*pyrum*
32. 18. *medio*	*media*
38. 9. *benefico*	*beneficio*
41. 13. *lapideam*	*lapidem*
44. 15. *ſuperimpoſtà*	*ſuperimpoſita*
45. 1. *frequentatur*	*frequentantur*
56. 16. *duectum*	*vectum*
87. 3. *aggereretur*	*aggeraretur*

Cætera minora Benignus Lector corrigat.

Digitized by Google

IOSEPHI MACRINI

I.C. NEAPOLITANI.

De Veſuvio, populiſque accolis

COLLECTANEA HISTORICA.

CAPVT PRIMVM.

ITaliæ provincia, quà cęli tēperie, quà ſoli ubertate, incolarumque ingeniis toto orbe celeberrima ad humani cruris effigiem à ſummis Alpium iugis ad Ionium, Scillacæumq; uſque fretum ſecundum longitudinem ſe extendit. Eiuſdem latera hinc tyrrenum mare: illinc Adriaticum fluctibus alluunt. Qua verò parte continenti iun-

Digitized by Google

gitur Alpibus, quas memoravimus, impenetrabilibus uſq; ad Annibalis (*Liuius lib.* 21.) tēpora mōtibus munitur: extremam Ionium claudit. Cęterū ducto ab Alpibus initio ipſa quanta eſt ab Apennino media ſecatur; Quod breuius, & elegantius Actius Sincerus (*Sānazar. de par. virg. lib.* 2.)

Nubiferæ quam præruptis ambagibus Alpes
Præcingunt, mediamque pater ſecat Apenninus,
Et geminum rapido fluctu circumtonat æquor.

Is autem mons, ſiue montium longa ſeries à maritima ora recedens, & longo tranſcurſu per noningenta ferè milliaria ad ultimos lucanos, brutioſque extenſa, cum ipſa Italia initium, cum ipſa finem habet. Ita tamen diſcreti mōtes ſe continuant, ut ſi unum propter longitudinem dicere non audeas; numerum tamen, & diſcretionem non admittant (namque alius alii

co-

cohęret) paucis militaribus viis adeũ-
di. In Campania tamen fœlici Veſu-
vius mons veluti per ſuperbiam pa-
trem deſpiciens Apenninum ab eo,
cæteriſq; montibus longe per latam
planiciem disiungitur, & ſolus Nea-
politano crateri,ſeque ipſo contentus
incumbit. Licet autem ille & circui-
tus magnitudine, & oppidorum fre-
quentia, vinique nobilitate maximè
celebris ſit: præcipue tamen ignium,
aquarumque eiectionibus, eruptio-
num hiatibus, terrificis motibus quà
ſe clarum, quà metuendum reddidit.
Hinc eſt quod omnium ferè ætatum
ſcriptoribus memoretur, hiſtoriæque
ſuarum claudium enarrandarum ma-
teriam ſæpè præbuerit. Neque verò
hiſtoricorum tantum ille calamos;
ſed philoſophorum quoque acerrimè
exercitauit ingenia cauſas eiuſmodi
rerum inueſtigantium. Quid? quod
hæc aviditas ſeniori Plinio audacius,
propiuſque huiuſmodi arcana obſer-

uare cupienti exitio fuit, ſulphureo halitu ſuffocato : quaſi indignata natura tam ſedulum ſui ſcrutatorem eas temeritatis pœnas ab ipſo exegerit. De hoc itaque monte aliqua miſcellanea colligere in animo mihi eſt. Quamuis autem ſuperuacaneum alicui videri poſsit de eo commentari, qui nobis ante oculos eſt, & nimium ingenti noſtro damno notus; tamen non deſpero facturum rem non iniucundam iis, quibus ſolo nomine tantum innotuit, exiſtimoq; operam non omninò luſurum, ſi quæ per varios ſcriptores, per diuerſa tempora de eo, populiſque accolis leguntur in unum breuiter digeſſero, & ſi quæ ſunt vetuſtatis veſtigia ad præſentia tempora coniunxero. Præſertìm cum Sanfelicius (*de Campan.*) eruditus Campaniæ deſcriptor, quidquam de eo peculiare in lucem non dederit, & qui omnia ad ſatietatem, & luculenter enucleauit Pellegrinus (*in*

ap-

appar. Campan.) vetera tantum loca illuſtranda ſibi propoſuit, cum prçterea, quæ patrio ſermone ſcripſit ultra Italici idiomatis orbitam non progrediantur. Recupitus (*de incend. Veſuv.*) autem incendiorum numerum, & cauſas fideliter perſtringens in deſcribenda clade anni M.DC.XXXI. plurimus eſt: Borrellus (*meteor. Ætnæ*), & pleriq; alii ſolas cauſas incendiorum proſequuti, illas ex profundo ſcrutantur. Licere ergo mihi putavi quandam veluti collectaneam ex alienis, meiſque laboribus compendio perficere: inſtituto, ſi non alia re, ad otium ſaltem pellendum utili.

CAPVT SECVNDVM.

Fabuloſa circa hos montes enarrantur.

ANtequam autem ſeria, & hiſtorica ſoliditate fulta ingrediamur libet hic pauca prius de fabuloſis circa eiuſmodi montes, & Veſuvium commentis præfari, ut tranſmiſſis breuiter his ſomniis ad vera continuo gradu procedamus. Neſcio tamen qua utilitate Græci conati ſint in omnibus veritatem, fucis, & figmentis involvere. Putant illi quidem arte id factitatum ingenioſa, dum ipſam excultam, inculcatamque, & ſub figmentorum velo multa, & præſertìm moralia mortales edoctos volunt. Sed dubitandum magnopere eſset an veritatem occulerint magis his ambagibus, an patefecerint, exornaverintne potius, an deturparint.

Vtcumque tamen ſit, fabulati ſunt illi, pugnantes olim in æthera Gigantes fulmine à Iove diſiectos, eoſq; in pœnam audaciæ, & criminum montibus ſuppoſitos, & quoniam tres tantummodo illis innotuerunt inſigniores incendiis montes Ætna ſcilicet, Veſuvius, & Inarime, unicuiq; ſuum adſcripſerunt reum. Benè ergo conſultum humano generi, Græciſque fuit, quod cætera innumerabilia, quæ per totum orbem, Indoſque ſparguntur loca iſtiuſmodi ad eorũ notitiam non peruenerint: ita enim factum eſt, ut & ipſis amplior labor alia sõniãdi, nobis faſtidium tot, tantaque mendacia legendi demptum ſit, aut imminutum. Ætnæ ſuppoſitum Enceladum, Veſuvio Alcioneum, Inarimi Tipheum volũt. Ita Claudianus (*de rapt. proſer.*)

quę talio vivo
Auſa tonante manus? rupitne Tiphoea cervix ....

Inarimen? fractane iugi compage Veſeui
Alcioneus per ſtagna pedes tyrrena cucurrit?
An vicina mihi quaſſatis faucibus Ætna
Protulit Enceladum?

Et in panegirico de ſexto conſulatu Honorii ita præfatur.

Enceladus mihi carmen erat, victuſque Tiphæus:
Hunc premit Inarimes, hunc grauis Ætna domat,

atq; alibi. *Ætna giganteos nunquam tacitura triumphos*
Enceladi buſtum...

Homerus lib. 12. iliad. & Virgilius ſuppoſitum Tiphęum Inarimi dicunt.

Tunc ſonitu prochite alta tremit, durumque cubile
Inarime Iouis imperiis impoſta Tiphęo.

Hi tamen non benè conueniunt cum Ouidio; nam iſte nō Enceladum, ſub

ſub Ætna, ſed Tiphœum locat.

Vaſta giganteis iniecta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubiectum molibus urbes
Ætherias auſum ſperare Tiphoea ſedes.

Sed quantum libet illi contendant, perſuaſum mihi habeo neminem ipſorum veri quidquam dicturum. Cæterum ſufficiat nobis, quod de Alcioneo ſub Veſuvio compacto non diſconveniũt. Sequutus etiã poetas antiquiores Sanazarius in Arcadia Alcioneũ ſub Veſuvio pęnas luere elegãter tradit. Hos porrò gigantes incendia provolvere, ab ipſis has miſceri ruinas, tremoreſque terræ oriri voluerunt, dum contra onus nitentes diſiicere ſuperimpoſitas moles, & exilire conantur. Audiatis Ovidium.

Nititur ille quidem, tentatque reſurgere ſæpe:
Dextra ſed auſonio manus eſt impoſta

poſta Peloro,
Leua Pachine tibi, lilibeo crura premuntur;
Degrauat Ætna caput, ſub qua reſupinus arenas
Eiectat, flammamque fero vomit ore Tiphoeus.
Sapè remoliri luctatur pondera terræ,
Oppidaque & magnas devolvere corpore montes:
Inde tremit tellus

Sub hoc demum rerum inuolucro nil aliud fabulam indicare dicitur, quam quod ſuperbis ſuperùm vis reſiſtat, eoſque qui altiora, & humana conditione ſublimiora contumaci ingenio petant in id demum incidere, ut terræ ſuppoſiti calcaneis infirmiorem terantur, & nequicquam iniuſta tentantibus euentum arridere. Has res licet vndequaque notas hoc velamine exponere poſteris poetæ voluerunt, ita hæc miſteria fabuloſa, explicat

cat Bocaccius (*de Genealogia deorum*) & Natalis Comes (*in ſua mithologia*) Sed iam tempus eſt, vt his ineptiis, anilibuſque ſomniis tranſmiſsis veram ipſius Veſuvii hiſtoriam aggrediamur.

CAPVT TERTIVM.

De Veſuvii ſitu, circuitu, & dimenſione.

VT autem de eius ſitu, dimenſioneq; primus ſit ſermo; Mons hic in extrema meridionali Campania ſitus eſt: ipſo enim, ſuiſque agris ad Sarnum uſque fluuium pertinentibus, tranſgreſso, proxima Picentinorum regio ſuccedit. Ab Orientali autem latere lætam, latamque planiciem proſpectat, quæ vaſta camporum æquora complectitur Nolani, Palmenſis, & Octauianenſis agri: poſt eam Apennini cautes attolluntur.

Hac planicie, ſi Iouio (*lib.* 4. *hiſtor.*) credimus, inter Marcellum Romanorum, Annibalem Pœnorum Ducem duobus numeroſis exercitibus pugnatum eſt: itemque maiorum memoria inter Gallos Regni Neapolitani inuaſores, Aragoniumque Regem ibidem commiſsæ acies. Fuit enim aliquando ſola ſemẽtationis laude commendata; nullo arborum, vitiumque impedimento, ideoque certaminibus faciendis, equitatus excurſionibus, caſtriſque metandis aptiſsima; noſtro autem æuo quia pumiceis Veſuvii lapillis, cineribuſque operta eam ſoli amiſerat ubertatem, ſedulitate colonorum aliàs mutato ſtudio quęrẽtium utilitates, fructuſque: ingentibus novalibus, vitiũ ſationibus, pomiferiſq; arboribus impedita, minus iam prælijs apta. In meridionali plaga Veſuvius mons agros habet inter optimos fęcunditate numeratos Sarno irrigatos fluvio. Certe Virgilius exemplum

da-

daturus celebris, pinguiſque ſoli hos deſignat. . . .

——*Et quæ ſecat æquora Sarnus*:

Poſt eundem fluvium porrò non procul extantes lacteus, & ſtabiarum montes conſpiciuntur. Qua verò ad Occidentem vergit, alluitur Neapolitano cratere, & in ipſam urbem ſpectandus pariter, & metuendus procurrit. Septemtrionalis plaga immenſos, diteſque Campaniæ agros, Acerranos præcipue, & Atellanos ſubiectos habet: nam quæ nunc ea in ora minora ſunt oppida, eius agri partem inſident, qui earum fuerat civitatum, licet nova loca nova nomina induerint. Oppidorum autem, quæ circa ipſum extant memoriam ideò prætermittimus, cum de iis peculiari capite deinceps ſit dicendum. Huius montis circuitus, ſi æquiora loca unde aſſurgere in montem incipit undiq; metiamur, triginta milliaria italica facile complebit: adeò leniter ille à circumpoſita

poſita planicie ſurgere incipit, ut vix planiciem à ſurgēte monte diuerſam agnoſcas, nec niſi ubi converſus deſpectiora loca videas, aſcēdiſse te intelligas: unde eſt, quod ingentem circuitus ſui menſuram exhibeat.

Altitudo eiuſdem, quantum ex his, qui geometricò quadrante menſuram ipſius adepti ſunt, audiuimus; quà maximè aſſurgit tria non perficit milliaria, quà demiſſior vix duo excedit. Quod ne mirum in vno, eodemq; monte videatur dicendum.

CA-

CAPVT QVARTVM.

De eiuſdem antiqua, & recenti facie, aut immutatione.

VEſuvium ab imo ad eam uſque ſummitatem, quæ nunc dimidiata eſt, rotundum fuiſse facilè exiſtimari poteſt ſumpto à primo eiuſdem ingreſsu, & à demiſsioribus lateribus argumento. Certè infima eius ora primò undique lenis, indè ſenſim undique acclivis, & demum omni è latere circà ſummitatem difficilis aſcenſus, ut non tam pede, quàm manu iuvante quandoq; ſit ſuperandus. Pyramidis formam habere ſcribit Recupitus; cum non tam pyramidis; (nam illæ quatrilateræ fuere), quam perfecti coni imaginem reddat. Nunc verò circà faſtigium dimidiatus omninò eſt, ex ea ſcilicet parte, qua ſummano oppido incumbit excelſus eſt,

re-

reliqua, quæ ad meridiem vergebat iãpridem ab antiquis ſeculis vi igniũ emiſſa, diſperſaque. Coniectare autem licet primam in medio montis umbilico fuiſſe ignium eruptionem, quæ media tellure evulſa integris montanis coſtis, quandã veluti caveã effecit. Certè de hac in Veſuvii faſtigio voragine ita diſſerit ex Scriptorũ authoritate Pellegrinus (*appar. Campan. diſc.* 2. *cap.* 22.) Primò quidem fuiſse in eius ſummitate æquam planiciem colligit ex Strabone (*lib.* 5.) eorum, qui talia notaverint antiquiſſimo: iis verbis: *Veſuvius mons agris cintus eſt optimis dempto vertice, qui magna ſui parte planus totus ſterilis eſt aſpectu cinereus, cauernaſque oſtendens fiſtularum plenas*. Colligere verò licet ex his Strabonis verbis, hunc ipſum cavernoſum verticem, cinereum, fiſtuloſumque iampridem arſiſse. Inde mutata facie, planicieque per incendia iactata, demiſsioreque reddi-

ta

ta formam ingentis amphiteatri retinuiſse conſtat, montanis circumcoſtis omni è latere integris ex Xiphilino (*lib.* 66.) (*olim quidem ex omni parte pariter excelſus erat, & tunc è medio eius ignis extitit: nam ea parte tantum exuſtus eſt, extrinſecus enim intactus, integerque permanet*, & infra, *totus mons (ſi licet parva cum magnis conferre) formam habet amphiteatri*. Sed aliis mox incendiis montanis coſtis ex orientali, & occidentali latere diminutis, tum demum bicipitem euaſiſse credimus, qua forma ad noſtram ferè manſit ætatem. Cum demum vertex etiam meridionalis in ipſam voraginem prolapſus, aut paulatim igne diminutus in cineres plerumq; diſsiliit, quibus omnes ferè orbis partes anno MDCXXXI. conſperſæ fuere. Hinc eſt quod non plenè biceps ſit, alterumq; iam decreuerit caput, eatenus, vt vix ipſam planiciem, voraginemq; ſibi ſubiectā ſu-

ſuperet, ideoq; ſolo Septemtrionali latere excelſus ſit Veſuvius, veluti pro dimidia, reliquo vertice demiſſiore. Recupitus de hoc Veſuviani montis decremento iocaturus, dixit, illum tamquam publicum incendiarum, qui tot oppida, ruraq; deleuerat, capite truncatum fuiſse. Subditq; præterea ex eo maximo decremento eueniſse, ut mare Neapolitanum ventis magis obnoxium factum ſit, ipſumq; ideo litus, & portus incertior, quod tamen tamquam magnificè dictum vix receperim. Sunt etiã qui ſuſpicati ſint patuiſse aliquando intima Veſuvij viſcera: ſcilicet ea vehementia iampridem erupiſse, vt non ſolum in ſummitate; verum etiam in lateribus aditus reſeraverit, atque oſtia inuicem permeabilia, quæ demum ſpeluncarum interno caſu, aut nova demum eruptione fuerint obſerata. Huius rei porrò indicium facit Flori hiſtoria, quæ Spartacum ſervilis exercitus ducem à

Ro-

Romanis in Veſuvio circumobſeſſum per ipſius fauces clam vitiginijs funibus delapſum effugiſſe narrat; idque pro re comperta habet Ianſonius in Atlante. Vtcumque tamen ſit, colligere hinc licet in meridionale latus ſemper ignes, incendiumq; incubuiſſe, ſeptemtrionali plaga ferè ab omni iniuria immuni; ita vt non omnino deliri videantur, qui à ſolis calore, radijſq; inexhauſtus eas nitri, ſulphuris, bituminis mineras progigni putaverint.

Certè, quæ ad meridiem aſſidebant monti civitates, agriq; terræmotu quaſſati, incendio ſæpius abſumpti, deletiq; ſunt.

Quod ut demonſtretur, ſit.

CAPVT QVINTVM.

De veteribus circa eum, & nuperis oppidis.

DE veteribus circa Veſuvium, ſiue oppidis, ſiue vrbibus verba facturus, quando iam nullum extet earundem monumentum, locorumque certa deſignatio, quorum etiam nomina perierint apud poſteros alijs ſubinde inditis: potius duxerim nova, quæ nunc ſunt oppida recenſere montem circumeundo, vt quando in ea incidam ubi fuerint iam vetera, quæ deſederint; tunc quæ de iiſdem colliguntur ex hiſtoriis breuiter perſtringam. Liceat autem mihi iter ineũti inde exordium ſumere, unde ſol ipſe diurno circuitu exorditur. Primum itaque ſit ab orientali latere æſtivo initium, vbi ante omnes occurrit oppidum Summa novi omninò nominis,

& priſcis ignoti, & procul dubio eo argumento nuperis ſæculis condita. Quæſivere, niſi fallor, patriæ nomen illud incolæ, quod ſumma, & in reliquos pagos, agroſque ardua immineat. Nulla tamen re, facinore, aut hiſtoria memorabilis; niſi ꝙ quaſi præcipuum Veſuvij oppidum antiquo abrogato ſuum nomen monti indiderit, unde italis omnibus Summanus mons dicitur. Agri tamen feracitas, pomorumque cuiuſvis generis copia præſtantiaq; qua commendatur, digna eſt, quæ cum ſilentio non prætereatur. Fœlices præcipuè agri eo beneficio, quod Veſuviani excidii minimam ſẽtiant partem, ideoque cæteris, qui circa eundem montem ſunt facilè antecellant. Cum enim obſervetur Veſuvium ea parte igneſcere, quæ ad meridionalem, ferèq; aduerſam Summæ regionem ſpectat; idcircò minore clade in Summanum, quàm in reliquos agros ſæviit ſemper. Ille etiam

ſeptemtrionalis vertex, qui ab ea labe longinquus integer adhuc, & indiminutus reliquo humiliori ſuper eminet, quodam ſui veluti munimento cineres, lapideſq; plerumque arcet à Summano agro. Sementis itaque vt plurimum patiens, ſi non eo proventu, quo reliqua campania; ferax tamen cum mediocritate reſpondet avido colono. Vltrà tamen mediocritatem Bacco abundat; nec tantum laboris frumentationi, quantum vitium ſationi, ſecundiore experientia docti coloni impendunt. Surgunt itaq; ingẽtia populeta, quibus cõnixæ ad ſupremam altitudinem vites attolluntur, eò iucundius, validiuſque ſuccum daturæ, quò altiùs ad Solis, frigoriſque vices expoſitæ matureſcant vuæ. Scilicet ea natura Soli campani eſt, ut humiliores vineas reſpuat, æquè, ac reliquæ Regni Neapolitani provinciæ populeta non educant. Etſi verè mirificè apricetur, quæ pars agri pla-

planior eſt, illa etiam, quæ in montis umbilicum aſſurgit, planiorem ſubiectam oram pomorum omnium laude ſuperat, ut dici rectè poſsit illic copiam ſuum cornù effudiſse, illuc tranſlatas heſperidum hortorum à Pomona divitias. Nam præterquam quod eius regionis poma tamquam in ventilatioribus locis, quos pinguior, lętiorque ſuccus non inficit nata, ſuavioris ſunt ſaporis: inde etiam fit, ut non citò marceſcant, ut reliqua. Quid dicam de ſerotinis pomis, quæ ad multam hiemem perdurant? aut de eſcariis vuis, quæ ſemper integræ amiſſa iam à vitibus, & arboribus frõde, in ipſis longo tempore pendent? Quamuis autem omni pirorum genere abundet, eo tamen copioſior eſt, quod, quia ſupra reliqua celebretur omnia, Regium pirum olim vocabatur, nunc vernaculè, *bergamotto*; Neq; hic prætereundum eſt, quod magnificus Romani operis aquæductus, qui accepta à Se-

renis Montibus aqua, vaſto itinere ad puteolanas ferebatur ciſternas in maritimæ claſſis uſum, per Summanum agrum ducebatur, quod tùm ex Summontii teſtimonio, tum ex inuentis nuperrimè eius ruderibus in Sũmano latifundio Clariſsimi Regii Cõſiliarii D. Franciſci Marciani liquet, quæ è lateritia materia conſtructa, & foſſorum indicio prodita vir ille ornatiſſimus obſervavit, teſtatuſque mihi eſt itinere ſubterraneo continuari.

Hæc ſatis de Summano agro: nam de oppido ipſo pauca dicenda remanent nullo ſcriptore de eo quidquam memorante. Illud autem quamuis optima aeris temperie fruatur, & incolarum numero frequens ſit; tamen nec ędificiis conſpicuum, nec murorum cintum corona eſt, undique pervium in declivi ſitu, utpotè in Veſuvii latere conditum, manet. Neque enim in oppidis, quæ circa hunc montem (Regiæ urbi vicina ęxcipio) domum paulò

lò magnificentiorem, laxiuſq; ædificium ſpectare licebit: nam cum non niſi vivo lapide ædificent, eoque mirificè gravi; (tophi enim, & leuioris lapidicinæ nullam copiam habent) hinc eſt, quod materiæ pondus ullam domum, prætoriumue vltrà primam, aut alteram contignationē altiùs tolli non patiatur. Sunt autem hi lapides, quos vivos vocamus, ex ipſa Veſuviana glarea, de qua infra ſermo habebitur. Cæterum ſitus opportunitas ultrà indigenas multos etiam à Regia urbe allicit, à qua vix duabus leucis abeſt.

Præterita itaque Summa eiuſdem montis radices peragrando ad leucam vnam Octavianum oppidum ſe offert paulò antiquioris nominis, & glorioſioris. Pro certò autem habetur ex incolarū traditione, & nominis argumento id ab Octaviano Auguſto, ſiue nomē, ſiue initium habuiſse. Neq; ſanè abhorrere videtur à ſolida veritate

Au-

Auguſtum in eam villam quandoque ſeceſſiſſe; unde ſuum nomen incolæ per adulationem patriæ indiderint: cum prætereà campaniæ ſeceſſum ſummopere eidem placuiſse legatur, urbemque Nolanam unicè dilexerit, colueritq; domicilio, & morte, cuius in agro Octauianum poſitum eſt.

Quamuis autem exiſtimem decentiorem olim fuiſse eius loci faciem; nunc tamen inter ingentes valles Veſuvianis cladibus, aquarumque eluvionibus natas id oppidum poſitum eſt. Ædificia rudia, & infrequentia inter quamq; domum viridariis, hortiſque olitoriis interiectis, nullam certam oppidi ſeriem demonſtrant, civium tamen, colonorumque numero Summam facilè ſuperat, magnumque oppidi exhiberet ambitum, ſi in unum incolæ, ædificiaque coaleſcerent. Sed gens ut plurimum rurum ſuorum ſtudioſa ſparſa per latiſsima agrorum ſpatia degit, & ſuo quiſque rure per

ma-

mapalia habitat, ut per ea latifundia duabus ferè leucis frequentes colonorum veluti viculi cernantur. Ager ſicuti ſementatione ſummano impar ita par vini nobilitate, & pomorum copia, eundemque procul dubio vaſtitate ſuperat. Plantas ibi plerumque quadrato ordine eleganter directas effodiunt, iuxta Virgilianū pręceptū:

Indulge ordinibus, nec ſecius omnis in unguem
Arboribus poſitis ſecto via limitē quadret,
Vt ſępè ingenti bello, cum longa cohortes
Explicuit legio . . (& infra)
Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum,
Non animum modò uti paſcat proſpectus inanem;
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aquas
Terra; nec in vacuum poterant ſe extendere rami.

Quæ

Quæ verò abrupta ſunt, & montana uſque ad extrema montis cacumina caſtanetis, ſiluiſque cęduis quà ad victum, quà ad ignem materiam ipſæ etiam urbi ſufficiunt. Iucundus multis laudibus ager, niſi morulorum pernicie vexaretur, ut reliqua fere circummontana regio. Id animal ex inſectilium genere(an reptile, an volatile dicamus, incertum)ineũte Maii menſe ex ima tellure prorumpit, tum cũ ipſæ vitium gẽmæ extuberant, humanum unguem magnitudine non excedens. Enituntur hi autem rependo: mox parvis alis attolluntur, & populeta, viteſque numeroſo agmine invadunt: tunc primo vere frugiferantes, anni ſpem, familiarumque ſubſtantias voraturi. Non aliud præſentius contrà hãc peſtem remedium, quàm ſi prælongis ſudibus è ſingulis vitibus quotidie exturbentur, occidanturque. Ergo quaſi præſidium finibus contra hoſtes ſint laturi oppi-

dani eo tempore exercentur. Mira tamen res eſt, quod hi tenuioris vini palmites fugiant, nec aliam quam Veſuvianam inſederint oram, quaſi meracioris ſucci frondē probè agnoſcant, eligantque. Hinc etiam exiſtimare licebit bituminatam Veſuvianæ oræ tellurem ad eorum ſemina fermentanda aptiorem reliquis reperiri, niſi dicamus arenoſum ſolū permeabilius illis eſſe tum, cum ad recondenda ſemina profundius fodiunt, quam terræ penetrabilitatem in pinguioribus locis non inveniunt. Depaſti itaque teneras gemmas extremo Iunio tellurē repetunt ſementem ad venturi anni cladem ſub ea relicturi. Vtinam tanto proventu ſegetes adoleſcerent, quanta ii fęcunditate renaſcuntur. Trecentos ſæpè ex unica eius ſementis fiſtula prodire, narrant Agricolæ; ſed de his ſatis.

In illa, quæ huic oppido imminet pendice quaſdam antiquæ molis reli-

liquias internoſci narrant; quarum partem Veſuviano cinere, qui in plures ulnas ibi aſsurgit, tegi credibile eſt. Hunc locum indigenæ Veſeris caſtrum nuncupant.

Fuit autem circa Veſuvium aliquãdo Veſeris ciuitas; quam vis Veſeris nomen civitatine potius, an fluvio ſit tribuendum non audeat decernere Pellegrinus. Facit autem certum indicium de Veſeri Civitate deprompta ex Livio hiſtoria. Cum enim Latini rebellaſsent à Romanis; egreſſis ad perduelles domãdos conſulibus Fulvio, & Decio, & auxiliaribus Samnitum copiis aucto exercitu, ab utriſque tandem (ait Livius): *Pugnatum eſt haud procul radicibus montis Veſuvij, qua via ad Veſerim ferebat.* Porrò nec via aliqua ad fluvium ferre dicitur, cui plurimæ per decurſum occurrere ſolent; vt propterea Livij verba ex eiuſdem mente de Veſeri civitate intelligenda ſint. Neque quod alibi lega-

gatur Herculanum inter duos fluvios poſitum, inde neceſse quis habebit, ut interpretetur Herculanum (nunc *la Torre del Greco*) inter Veſerim, & Sarnum fuiſse, cum inter Sebetum, & Sarnum locatum intelligendum ſit. Adeoq; nec recipienda eſt Pellegrini ſententia, qui Sebetũ, & Veſerim unũ, idemque flumen fuiſse credidit: cum Sebethi nomen sẽper ſervaſse legatur noſtræ urbis riuus; nec tãtis aquis fluat, ut dignus ſit, in bellis recenſendis qui memoretur: Quod ſi civitas Veſeris fuit, veroſimile quidem videtur eam oriẽtali latere Veſuvij ſitam fuiſse, in quo nuſquam aliam extructam, quantum ex hiſtoriis colligi licet, (nam in rebus antiquiſsimis verſamur) pro comperto habetur. Putaverim tamen vix admittendam eam incolarum circà deſcripta Octaviani rudera Veſeris memoriam. Situs enim loci inopportunus aliud demonſtrat, & potius crediderim civitatem illam

hu-

humiliori loco fuiſse.

Fines Octaviani trãſgreſsis, ad quartum militare caſtrum, ut dicunt, Nemoris occurrit; Et verè á re nomen habuit. In medijs populetorũ nemoribus ſparguntur incolarum ædes, & alii plerique ſua prædia inhabitant. Gens tamen ferox, & ſilvis aſſueta, & minimè hoſpitalis. Ager nulli fæcunditate cedit: quamvis minus pomorum inſitioni, quàm vitium propagationi indigenæ ſtudeant. Ea etiam re nobilis eſt, quod in ipſo inſpiciatur locus, qui vernaculè dicitur, *la Civita*, haud dubium exciſæ uno impetu civitatis monumentum, de quo quia Scriptores varia protulere, aliqua dicenda ſunt. In medio itaque nemorenſis agri planicie, cum minime de colle dubites, vtpote in loco longè, lateque æquo repente tumulus obiicitur, non ille excelſus quidem, ſed mediocris altitudinis, cuius ambitum mille paſſus facilè concludant. Certa

res

res eſt illum ibi non à natura iampridem productum;ſed vi minerarum, ſpirituumq; , aut in collem intumuiſſe illic tellurem , aut certè ex evomitione Veſuviana omnes lapides, arenaſque in unam eandem partem vergentes, urbem illam elato tumulo conſepeliviſſe. Hoc autem ultrà ſervatam accolarum memoriam, qui tradunt ſub iis rupibus civitatis antiquiſſimæ ædificia operiri; unde remanet loco incertũ illud vetuſtiſſimũ q; nomen, *la Civita*, arguunt hoc etiam ipſæ rupes, quæ non ex ſaxo interius; ſed ex adventitia materia, glebiſque conſtituuntur. At quod rem ipſam illuſtrat, cernuntur ſub ipſo tumulo, qua parte deſinit, integræ ædes, & ingentiũ murorum rudera, porticuſq; quos vidi ſemiſepultos, aggereque impoſito occultatos ex lateritio antiquo opere. Fertur integras à foſſoribus ſæpè domos detegi, corruptis ſupellectilium reliquiis refertas: nuper-

Google

que elaborato iuxta eius pendices aquæductu, quo ferretur ad tormentarii pulveris officinas Regias rivus; opifices in viã optimè inſtratã incidiſſe audivimus, qua purgata eximius lectus fluvio paratus eſt. Non facilè eſt verbis reddere, ut iaceant ad certũ tãti caſus indicium aggeſtæ in illo, & ſub ipſo colle ingentes ruinæ. Ipſa miſerabilis loci facies ſuprà omnem eloquentiã caſum lacrymabilẽ oſtendit, ſpectatoreſque rerum inſtabilitatis admonet. Non diſſimilis miraculi, ſiue hiſtoriam, ſiue fabulam narrat Ouidius eleganter(*lib.* 15.*metam.*)

Eſt propè Pitthеam tumulus Træzena ſine ullis
Arduus arboribus quondam planiſſima campi
Area, nunc tumulus: nam (res horrenda relatu)
Vis fera ventorum cęcis incluſa cavernis
Expirare aliquà cupiens, luctataque

taque fruſtra
Liberiore frui cælo , cùm carcere rima
Nulla foret toto : nec pervia flatibus eſset ,
Extentam tumefecit humum.

De colle in Æolia tellure vi ſubterranei ignis tumeſcente , nouiterque exorto prodit quoq; Ariſtoteles (*lib.* 2. *meteor.*) , ne poetarum autoritate omninò nitamur.

In his verò ruinarum locis urbem olim Thoram, ſiue Coſam ſtetiſsè vult Pellegrinus, præſertim Flori(*lib.* 3. *cap.*24.)motus hiſtoria. Cum enim Spartacus ſervilis exercitus Dux per Veſuvium errabundus,& in eo obſeſſus à Romano exercitu teneretur, delusis hoſtibus , vitigineiſq; funibus, per Veſuvii cavernas delapſa eius agmina *Exitu in uno nihil tale opinantis ducis ſubito impetu caſtra rapuere : deindè alia caſtra , deinde Coſam , totamque peruagantur campaniam :*

Idem etiam voluiſse videtur Velleii hiſtoria, ibi (*Nepos Deciȷ Magiȷ cum legione, quam ipſe in hirpinis conſcripſerat, Herculanum cum T. Didio caperet, Pompeios cum C. Sulla oppugnaret, Coſamque occuparet.*) Patet itaq; horum locorum peritis poſt Herculanum, Civitatem Pompeiorum fuiſse, ponè Pompeios in mediterraneis hunc Civitæ locum inveniri, ita ut videatur de hac ſub nomine Coſæ iuxta Pompeios occupatæ Hiſtoricus proculdubio loqui.

Enimverò licet hæc argumenta nō nihil perſuadere videantur: maximè tamen miror de huius urbis (quam Thoram, vel Coſam dictam volunt) excidio, digno alioqui cuius memoria ad poſteros traſmitteretur, neque Livium, neq; reliquos rerum Romanarum ſcriptores quidquam loquutos: præſertim cum ſtaret adhuc ea Civitas Romanis ubique rerum potentibus, & ipſi præterea conſueverint

rint

rint ſcriptores inſolitas res, auguria, mularum partus, lapidum pluvias, & cætera eiuſmodi diligenter recenſere. Portò credendum non eſt eos, qui minutiores caſus luculēter hiſtoriæ tradidere, prætermittere voluiſse magis celebrem eius urbis caſum, tumulumque ſubitariò excitatum ad eius ruinas. Putarem itaque hæc ipſa rudera eſse Pompeiorum latiſsimæ Civitatis reliquias, cuius Civitatis ambitum ad Sarnum uſque fluvium perveniſse legimus, qui paulo ab his ruinis inferior fluit; neque perperam aliam urbem fuiſse credendum eſt.

Prætermiſso nemoris agro ſe ſe offert Turris (ut vocant) D. Annunciatæ; caſtrum, in quo pręterquāquod tormentarii pulveris officinæ exerceantur, nihil eſt peculiari dignum memoria. Volunt plerique hic fuiſse olim ſitam Pompeiorum Civitatem. Quantum tamen ab hiſtoriis hauritur, non eodem ferè ſitu, ſed paulo in-

 feriori

feriori iuxta ipſas Sarni fluvii aquas, eiuſque oſtium Pompeii fuere (*Sanfelic. in campa.*) Civitas & portu nobilis, & cōditore. Fuerunt Herculem, ubi Herculanum urbem ſub Veſuvio condidiſset, cum pompa in triumphi morem ad Sarnum fluvium proceſſiſse, ibique captum loci opportunitate, fluminiſque benefico civitatem, ędificaſse à pompa triūphi Pompeios dictam. Sed nec tunc inclitus ille Iovis filius ſuarum urbium fortunam probè novit, eaſque citò perituras ignoravit: quique infera regna, Erebique monſtra domuerat, vicini Veſevi ignes laude ultrà omnes eius labores memoranda præteriit.

Maximi autem nominis Pompeiorum civitas fuit,* & Romani qui in opportuniores locos colonias ad imperii munimen mittere ſoliti ſunt, huc coloniam deducente Sylla decreverunt. Eoſdem Pompeianos inſimulatos, quòd in coniuratione Catilinæ eiuſ-

* Hanc ab Hercule conditam, et inde dictam quia victor ex Hispania pompam boum duxerat, dicit Solinus Polyhistor. cap. 8.

dem partes ſint ſequuti, egregiè vindicat Cicero (*in orat. pro Sylla*). Fallitur verò Sanfelicius cum vult Pompeios civitatem everſam fuiſse à Veſuvio, cum eius populus theatro conſideret: *Pompeianos verò*, ait ille, *in ſcenicorum ludorum ſpectaculo cōſidentes repentinus lapidum ſepeliuit caſus; uniuſque theatri cavea facta eſt totius ciuitatis urna*. Duas enim reperimus Pompeiorum clades, quarum altera Nerone Cęſare terręmotu extitit (*Seneca lib. 6. cap. 1. q. natur.*) altera ex incendio Veſuviano Tito imperante. Primo illo quidem terręmotu ſedens in theatro Pompeianus populus ingenti damno ex parte oppreſſus eſt. Concuſsa tamen tunc urbs, non ſepulta: ſed vix refectam incendium Veſuvianum ſub Tito Imperatore omninò depreſsit, contumulavitque cũ Herculano lapidibus, cineribuſq; adeò ut paucæ remanerent apud poſteros earundem reliquiæ: unde Statius

Vid. Sannazarii in Arcad. pros. 12. ubi annotavi

 tius

tius concivis noſter eiuſdem ætatis:

> *Mira fides! credetne hominum ventura propago,*
> *Cum ſegetes iterum, cumque hęc deſerta videbunt*
> *Infra urbes, populoſque premi?*

Hinc eſt, quod abhorrentes ab infęlicis patriæ ſede poſteri longè à Sarni aquis in benignioris cęli regione ędificaverint. Portus autem, qui procul dubio nobilis ante Pompeios fuerat, vnde *Navale* dicebatur *Nolæ, Nuceriæ, & Acerrarum; Sarno amne merces excipiente, & emittente;* prorſus evanuit, periitque fortaſse cum ipſa urbe: eiuſque ſtatio repleta ſaxis, areniſque longè repulſo mari in tellurem abiit, incertumque litus hodie navibus remanet, &

> *Statio male tuta carinis*

Nec. Sarnus navium amplius eſt patiens, qui uſque ad Iuſtiniani, & Narſetis tẽpora nauigabatur (*Sigon. de imper. occiden. lib.* 19.), ſiue deſuetudine

tudine nunc navigandi impeditis ripis, ſive quod aliò verſum ſit ennarratarum civitatum emporium, vel quòd repletum arenis alveum egeri, purgarique ſit neceſse ut navigetur.

Ager eius oppidi neq; ſatis frugifer eſt, neque latè patet, ut hinc liqueat fœlicius olim, latiuſque patuiſse. Eſt etiam alicubi ingentibus è Veſuvio ſaxis repletus; proximaq; eius eruptione Anni M. DC. XXXI. igneo torrente domibus à fundamentis euulſis, aut repletis magna ex parte cõcidit, nullo tamen oppidanorum damno, qui cladis admoniti longè incolumes diffugerant.

Pompeiis verò relictis Herculanum venienti occurrere ſæpè ſolent in itinere lapidei nunc, qui quondam à Veſuvio fluxerunt rivi. Comperta res eſt ex his montibus erumpere fontes ignitos ſolere, liquidos primò quidem, mox depoſito calore in ſaxum durandos, coagulandoſque. Similem

lapideum rivum memini cum multa animi voluptate vidiſse in Ænaria inſula olim incendiis præclara, ſemiſtadio latum, duas altum ulnas in torrentis modum è montis umbilico ad mare deſcendentem, cum in lateribus, & ſub eo ſaxo ſimplex alioqui, & pura tellus effodiatur. Noſtra etiã memoria igneum lapidum liquatorum flumen ab Ætna per ingens ſpatium ad Catanenſe litus perveniſse didicimus; mareque ingreſsum cum defriguiſset, in lapideã molem nulla arte humana, aut impẽdio parandam ad naves tutandas effeciſse.

Tranſacto autem eius viæ ſpatio Herculanum aditur, non iam illud glorioſum à fortiſſimo ducum Hercule extructum, ſed quod bis peſſumdato antiquo Herculano in oppidum non magnopere laudandum euaſit. Erat olim priſcum Herculanum in altiori ſitu, qui huic oppido, quod ex eius ruinis crevit, vulgo dicto (*la Tor-*

re

re del Greco) ſtadio ſupereminebat. Ibi nunc quædam antiqua ruderum vestigia cernuntur, eoq; in ſolo quotidie effodi egregii operis columnas, lapideſque certa magnificæ urbis indicia audimus. Ager eius montanus totus eſt, adeoque alicubi horret ſaxis exęſis, peruſtiſque, ut veterum incendiorum hiſtoriam poſteri in iis dilucidè habeant. Vini tantùm ferax ager, ſicuti & Pompeianus, laudatiſſimi, ubi tamen non omninò ſaxoſus eſt. Oppidi nunc cives ad tria capitum millia cenſentur, decem millia numerata perhibent ante cladem anni M.DC.XXXI. Sed tunc cum patria ferè omnes oppidani, qui incautiores degebant, & parum curioſi, ignęo torrente abſumpti (*Recupit. d. tract.*) Oppidum cineribus ſubactum ultrà domuum culmina excreſcente tellure; loci autem, mariſque opportunitate refectum: priſtinam tamen frequentiam amiſit.

Se-

Sequuntur in eodem occidentali Veſuvii latere Retina, Porticus, & Leucopetra, oppida, quæ ideo coniunctim memorantur, quòd nullo ferè diſtinguantur intervallo. Multis in locis inter hæc oppida cernere licet glareoſæ materiæ cortices, præcipuè tamen in eo, quem vulgo appellant, *lo Granatiello*, quam glaream quadruplicem obſervabat Thomas Cornelius: ſcilicet antiquitus quatuor vicibus effluxiſse vitrificatum illum lapideum torrentem diuerſis tamen temporibus, & ſuam quaq; eruptione venam, alia ſcilicet alii ſuperimpoſta demonſtrari. Amęniſſimi planè littoris facies, cui ipſa inſident è longinquo proſpicientes maximè delectat: exornata namque ſunt ampliſſimis ædificiis, ingentibuſque prætoriis regio ſumptu extructis. Cernuntur ibi lętiſſima pomaria omnibus deliciis referta; nec ad utilitatem ſolùm parata, ſed ad voluptatem. Seceſsu Nea-

po-

politanorum Procerum frequẽtatur; quòd aeris temperie omnem laudem, convicinaq; oppida ſuperent. Ciuium numerum difficile eſt recenſere: nam ſi eum demas illuſtrium familiarum numerum, qui illuc per vices ſecedere ſolet; paucos indigenas, eoſq; humilioris fortunæ invenias; ut plurimum fundorum colonos, & contemnendam manum; Ex his verò tribus Retina maxime, & Porticus ultimam incendii Veſuviani ſęvitiem ſenſere anno M.DC.XXXI. (*Recupit. ibid.*) çum ignei torrentis violentia ſint deleta, & cinerea, lapidoſaque nube in ipſa oppida effuſa ferè integra fuerint ſubacta. Extant adhuc domus ad ultimam contignationem cinere repletæ, & in ſolo altiori ædificatur; ut novarum ædium fundamenta veterum pinnas attingant.

Retina verò vetuſtiſſimum oppidum eſt (nunc *Reſina*) idemque retinet nomen una immutata litera. Vi-

de-

detur etiam fuiſſe locus ad ſtationem claſſiarijs Romanis olim deſignatus; vt etiam Puteoli fuerant; quod arguitur ex Plinii verbis(*lib.6.ep.16.*)de incendio Veſuviano ſub Tito ſcribẽtis.

In eiuſdem etiam occidentali mõtis umbilico D.Georgii, & Sebaſtiani ſurgunt pagi recentibus omninò ædificijs. Nam quæ extabant eiuſdem nominis ante,anno MDCXXXI. pari vel maiore quàm reliqua oppida clade vehemens ignitorum lapidum, cinerumque turbo,tectis, caſis, tugurijs cum animantibus, & civibus,qui non effugerant,everſis, ſepultiſq; delevit. Eorum tamen ager non vndique eo detrimento affectus novos colonos invenit, ſurguntq; iam frequentes. Vinum eius oræ ſuprà cætera laudatur Veſuviana. Fervet quodammodo in cyatho,& ſubſilire videtur auxiliarem ignem ſtomaco laturum. Præcipuum quod exprimitur in pendice prorſus in occidentem verſa uulgò di-

cta(*le Nouelle, e li Caritti*). Quamobrē nec cordatè loquutus videtur Virgilius vineas in occidentem verſas ſpernens. (*Georgic.2.*)

Nevè tibi ad Solem vergant vineta cadentem.

A Leucopetra verò non longè diſtant Neapolis ſuburbia: intereſt tantum mitiſſima planicies hortis, villiſq; olitorijs referta. Silentio autem prætermittimus Sebethi, Neapolis, Parthenopes, Palepoliſque monumenta ſtylo grandiori, ingentibuſq; voluminibus à pleriſque eruditis Autoribus tractata. Libet tantùm hic inſerere, quæ olim de ijſdem ad clariſſimum Thomam Cornelium ſcripſi:

At tu mundus eas, montiſque intactus arenis
Sebethe, ò patriæ fons generoſe meæ.
Te quoque ſpecto libens auibus, diuiſque ſecundis,
Delicioque hominum condita Parthenope; Cer-

Cernis, ut immenſi repleat vaſta æquora campi,
Quantum nõ vertant millia multa bouum,
Cernis, vt interius colles aſſurgat in altos,
Et læto inſideat conſpicienda ſinu.

Neapolitanæ civitati omni fœlicitatum genere refertiſſimę, ne omninò deliciis ſuperbeſceret, impoſita in propinquo eſt à fatis Veſuvii tyrannis. Etſi autem ab eo nullum adhuc memorandum paſſa ſit detrimentum; horret tamen noſtra urbs vicinã eius veluti carnificis ſtationem exitium ſibi exemplo cæterarum quotidiè minitantis. Vaticinatus eſt olim, Actius ſyncerus futurã aliquando tantæ urbis etiã euerſionẽ. (*Sãnaz. de ruinis Cum.*)

Et te (quis putet hoc?) altrix mea durus arator
Vertet, & urbs, dicet, hæc quoque clara fuit.

Nulla tamen re faciliùs impleri id va-

vaticinium poſſe exiſtimatur, quàm à Veſuvii montis eruptionibus. Neſcio quid ingens, inexhauſtumque ſonant ipſius cauernæ. Quod ſi cineres, lapideſque, quibus longinquas, propinquaſque regiones, & maria vel operuit, vel conſperſit, ſimul committi vna poſſent; pateret profectò quouſque ſubterraneos cuniculos agat, quæ tellus hiatibus expoſita, quæ ſolida interiùs ſit.

Sed quoniam orientale, meridionale, & occidentale Veſuvii latus circumeundo peregimus; remanet, ut de Septentrionali pauca dicamus ad itineris complementum. Barræ pagus inter initia Septemptrionis primus occurrit vix vno, & altero milliari ab urbe diſſitus. Is habet eximium agrũ, & qui Capuano, & Acerrano fertilitate non cędat. Hinc frequens eſt, & urbanorum ſeceſſu nobilitatur. Eandem quoque Ponticelli pagus vicinus agri laudem habet, & ſi non eandem

dem incolarum frequentiam ob aeris gravitatem. Porrò quæ iis tranſmiſſis in montana Septemptrionis pendice mõtana sũt oppida Maſſa, Troclea, & D. Anaſtasij, & ſi pretioſiore vino cõmendentur; ſegetis tamen prouentu demiſſioris ſoli agris cedunt. Quamobrem peculiariter videndum eſt.

CAPVT SEXTVM.

De antiqua, & præſenti eius ubertate, vinorumque laude.

MIrabimur profectò immutatã ævo, & variã vario tẽpore Veſuvianę oræ fæcunditatem: nam quãtum ex antiquorum lectione hauſimus olim quidem putris ſoli, pinguiſque fuiſſe legitur, frumenti ferax, olei, vinique fæcunda, & cum Acerrana, Capuanaque fertilitate concurrebat. Teſtis Virgilius iis carminibus (*Georg.* 2.

Il-

Illa tibi lętas intexit vitibus ulmos,
Illa ferax oleæ eſt; illam experiere colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci:
Talem diues arat Capua, & vicina Veſevo,
Ora iugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Idem indicavit Strabo cum ſcripſit (*Veſuvius mõs agris cintus eſt optimis, dempto vertice*) Sed hi certè ante ingentem Tito Cęſare imperante eruptionẽ, & eas quæ ſequutę ſunt ſcripſere. Nunc autem quodcumque ſolum aſpectu ſuo, circuituque complectitur, frumento minus aptum, minores fruges vix educat, &

Siliqua quaſſante lupinos:

Eius verò rei non dubiæ cauſæ fuere, quæ poſt Virgilii, & Strabonis ætatem acceſſerunt deinceps cinerũ, & lapillorum incrementa pumiceo-

rum, quæ finitima omnia ſubacta priore pingui tellure compleuerunt. Conſtat autem, quòd altiùs terram effodienti pinguis illa tellus occurrat; quam etiamnunc aratri ſignis interruptam cōſpicere licet; & veterem tellurem coloni appellant. Verum enimverò quantum illi laudis deceſſit ex amiſſa frumentatione, non diſpar acceſſit ex incendiis Veſuviano vino nobilitas. Mirabar autem cur nunquã in pretio fuerit priſcis Scriptoribus Veſuvianum merum: adeò inter illam veterum authorum copiã nullum de ipſo extat monumentum. Virgilius (*Georg.2.*) enim nobiliora regionum vina in Georgicis enumerans de Veſuviano reticet. Plinius (*lib.14.cap.26.*) verò ex propoſito de eorundem maiore, minoreve nobilitate edifferens, de Veſuviano ne verbum quidem profert. Laudantur ab eo in campania noſtra vina Surrentina, Cecuba, Gaurana, Maſſica, Falerna,

na; quibus quantum nunc Veſuvianum præſtet nullus eſt, qui ignoret. Putaſſem profectò vel minimam, vel nullam eo priſco ævo fuiſse vitium in Veſuvio culturam, copiamque; cum præterea legatur quandoque interdictam in ſolo Italico vinearum propagationem, cum animaduerterent vinearum cauſa frumentationẽ poſthaberi, quæ res annonæ detrimentum inferret. *Exiſtimans* (inquit Svetonius in Domitiano (*nimio vinearũ ſtudio negligi arva, edixitne quis in Italia novellaret, utq; in provincijs vineta ſucciderentur, relicta ut plurimum media parte.*) Sed nec ea opinio undiq; tuta eſt, cum apud pleroſque legatur dictus Vitifer Veſuvius: En Martialis

Hic eſt pampineis viridis Veſuvius umbris:

Certè melior ſententia eorum eſt, quæ putavit vitibus quidem ſemper fuiſse conſitum Veſuvium: vinum

autem, quod ex eius pendicibus exprimebatur idcircò iam pridem nullius nominis fuiſse, quòd minores olim fuerint eiuſdem vires, quod poſt incendia è Veſuvianis nitroſis cineribus aſsumpto robore crevit in eam laudem, ut nunc toto Orbe celeberrima vina Veſuviana habeantur: *Cæterum* Sanfelicius inquit (*de Campan.*) *mons ipſe, quem tanta vaſtitas inuiſum antiquis fecerat, rependens fructu illata damna, inuenit apud poſteros gratiam: cineris quippe calore affecta hæc plaga magnam nobilitandis vinis vim accepit*. Quod ego olim in quadam epiſtola his carminibus expoſui.

Dicaris licet ingentes egiſse ruinas
Ignibus, & vomitu ſæpè calentis aquæ,
Quodq; duas ſaxis generoſas ſupprimis urbes,
Et pecudum, atq; hominum ſtrage

de

de cruentus eas:
Tu tamen hæc pretio parili tua damna rependis
Copia, & invicti nobilitate meri.
Quis te crediderit volventem è vertice flammas.
Frugifera circum vite virere tamen?

Eiuſmodi verò eſt Veſuviani vini præſtantia, conditioque; ut validius gratiuſq; ſit, quò vetuſtius: tunc enim hominum valetudini, ſtomacoq; maximè confert. Vetuſtum autem intelligo non ad priſcæ ętatis ſenſum, quæ in vini vetuſtate ultrà modum luxuriata eſt. Tunc enim non niſi vigeſimi anni merum probabatur in menſis. Vnde Atheneus: *Falernum vinũ potui anno decimo tempeſtiuũ eſt, & ab anno decimoquinto ad vigeſimũ; vetuſtius autem caput dolore afficit.* Cẽteſimi anni vinum ſervatum quoque legimus: cum noſtra ętate vali-

diſſimum quodque vix biennium attingat, quod ſi excelſerit, prorſus degenerat. Etſi verò hæc res maiorem requirat diſquiſitionem; multùm tamen vino ad vetuſtatem ſeruando contuliſse videntur cretacea vaſa, quibus tunc ſervabatur orificio diligenter gypſata. Veſuvianum autem, quod *Grecum* vocant, translatitium eſse non ambigitur, noſtramq; Italiã à Grçcia mutuò propagines ſumpſiſse; quamuis nunc tanta ſit apud nos eiuſdem copia, ut miſiſse potius in Grçciam, quàm inde accepiſse videamur. Grçcum porrò vinum hoc habet proprium, quòd naui ductum maris iactatione, qua reliqua corrumpuntur, ſuauius fiat.

Sunt etiam, qui putent fuſci coloris vuas, quas, *Aglianiche*, vulgo dicunt; à Grçcia etiam traslatas huc eſſe, ex nominis coniectura, cum ἑλληνικὸς eo idiomate grçcum ſignificet.

Licet autem Paulus Iuriſconſultus (*ff. de verb. oblig. inſtit. de act. §. prateteà*), campanum vinum uti totius orbis pretioſiſsimum memorauerit, non ambigo tamen illum de vino Falerno, Maſſico, & reliquis circa Capuam urbem intellexiſse, non de Veſuviano, cuius nullum adhuc erat nomen. Colligere enim licet ex hiſtoricis Campanum agrum præcipuè eum, qui circa Capuam erat, dictum fuiſse.

CAPVT SEPTIMVM.

De Aquis, aut ſiccitate circa eundem.

IN tam ingenti arvorum, valliumque ſpatio, cui oppida fermè quindecim inſident, nulla aquarum exilit ſtaturigo. Vivit innumera hominum, pecudumque multitudo ex ſola pluviana, quæ diligenter hiema-

diſſimum quodque vix biennium attingat, quod ſi excеſſerit, prorſus degenerat. Etſi verò hæc res maiorem requirat diſquiſitionem; multum tamen vino ad vetuſtatem ſeruando contuliſse videntur cretacea vaſa, quibus tunc ſervabatur orificio diligenter gypſata. Veſuvianum autem, quod *Grecum* vocant, translatitium ésse non ambigitur, noſtramq; Italiã à Grçcia mutuò propagines ſumpſiſse; quamuis nunc tanta ſit apud nos eiuſdem copia, ut miſiſse potius in Grçciam, quàm inde accepiſse videamur. Grçcum porrò vinum hoc habet proprium, quòd naui ductum maris iactatione, qua reliqua corrumpuntur, ſuauius fiat.

Sunt etiam, qui putent fuſci coloris vuas, quas *Aglianiche*, vulgo dicunt, à Grçcia etiam traslatas huc eſſe, ex nominis coniectura, cum ἑλληνικὸς eo idiomate grçcum ſignificet.

Licet autem Paulus Iuriſconſultus (*ff. de verb. oblig. inſtit. de act. §. prateteà*), campanum vinum uti totius orbis pretioſiſsimum memorauerit, non ambigo tamen illum de vino Falerno, Maſſico, & reliquis circa Capuam urbem intellexiſse, non de Veſuviano, cuius nullum adhuc erat nomen. Colligere enim licet ex hiſtoricis Campanum agrum præcipuè eum, qui circa Capuam erat, dictum fuiſse.

CAPVT SEPTIMVM.

De Aquis, aut ſiccitate circa eundem.

IN tam ingenti arvorum, valliumque ſpatio, cui oppida fermè quindecim inſident, nulla aquarum exilit ſtaturigo. Vivit innumera hominum, pecudumque multitudo ex ſola pluviana, quæ diligenter hiemali

lì tẽpeſtate colligitur in omnes uſus per æſtatem ad venturam uſque hiemem ſuffectura. Manet autem apud incolas tradita quædam per manus à maioribus, & in poſteros tranſmiſſa de fluminibus memoria. Duo enim narrant profluxiſse olim è Veſuvio flumina, Veſerim, Draconẽq; quorũ alterũ fama eſt dediſse, vel accepiſſe ab illo nomen. Ea memorant ex orientali latere montis decurriſse in mediterranea, vetuſtis terrę hiatibus, aut montis motibus, ruiniſque vel eſiccata, vel intercepto alveo abſorpta, alioque verſa. Addunt quoque ad argumentum coniecturas, ſcilicet legi feudalium agrorum antiquas inveſtituras, in quibus à domino aquæ, aquarumque decurſus, & ius aquandi concedebatur, fruſtrà ſi aquarum beneficium ibi natura negaſſet. Enimverò ſicuti nec difficilis res eſt quæ credatur flumina ſiccari poſse motu terræ, aut aliò verti, vel hiatu ſorbe-

ri, iuxta illa Ovidii carmina (*lib.* 15. *metam.*)

Hic fontes natura novos reſeravit, & illic
Clauſit, & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina proſiliunt, aut eſiccata reſidunt.

Ita pariter quodam maximo terræmotu, eruptioneque montis Ætnei in Sicilia pleroſque fontes eſiccatos, pleroſq; nouiter erupiſse, alios etiam ſalſedine corruptos, ſcribit Sigonius.

Nil tamen me movet ea indigenorum credulitas, quæ nullo hiſtoricorum, aut geographorum teſtimonio nititur, iſtiq; de Veſuvio multa ſcribentes, prorſus de fluminibus circa eundem ſilent. Cæterum quod de Veſeri narrant, ea quidem urbs fuit, non fluvius, vt dictum eſt ſuperius. Quod de Dracone tradunt id neq; indicium veri habet: fefellit enim eos

quod

quod Draconis quoque nomen fluvius Sarnus aliquando habuerit Græcis ea regione dominantibus, qui amnis, *Scafati*, nunc dicitur. Ille autem quamvis non procul à Veſuvio præter eius radices fluat; nihil tamen aquarum ab eo, nec originis habet. Ab Apennini cautibus circà Sarnum urbem exiliens, grandique alveo per læta camporum æquora volutus oſtium in Pompeiano mari ſemper habuit, habetque. Et licet is amnis ſemper Sarni nomen omni ætate retinuerit apud univerſos ſcriptores latinos, quo utitur Virgilius:

. . *Et quæ ſecat æquora Sarnus.*

Et Lucanus *lib.* 2.

. . *Nocturnaque editor auræ*
Sarnus

Et Statius *lib.* 1. *ſyluar.*

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.

Vbi tamen Græcorum imperio ex re-

regiones (Romano imperio Bizantium translato) paruerunt, uti ſemper fuere Græci glorioſi, & memoriarum avidiſſimi, è ſuo idiomate nomen illi indidere duplex, ſcilicet Δράκων, ſeu Δράκοντ☉, ſiue quod id flumen nullo ſonitu, quietoque curſu fluens, ob immenſam tamen altitudinem tranſitum reſpuat, tentanteſque omninò hauriat, devoretque: ſeu quia brevi curſu & naſcatur ingens, & moriatur, nullis alienis aquis auctus in itinere ſua tantum aquarum mole contentus, vt Draco inde dici mereretur. Affert ad huius rei argumentum Pellegrinus quoſdam ex Archivio Cænobii Cavenſis ſcripturas. Sed(ne privata fide videamur uti) Sarnum fluvium appellatum invenimus Draconem apud Hiſtoricos à Sigonio compilatos (*lib. 19. imper. occiden.*) Cũ enim Græcus Imper. Iuſtinianus Duce Narſete Gothos ad internecionem perſe-

que-

quereṫur; hi Sarnum fluvium, eiuſq; pontem ad Græcos arcendos munivere, & accepto navibus per adverſum flumen à proximo mari ſubeuntibus, commeatu; bellum per plures dies extraxere, donec amiſſis navibus fame domiti ad pugnam ſint coacti. Deſcripturus hæc eadem Hiſtoricus ita loquitur(*Ad Veſuvij mõtis radices amnis eſt nomine Draco, cuius pontem Gothi praoccupaverant, & ſtatim impoſitis machinis, & turribus muniverunt*, & infra; *Ita duo ibi menſes extracti: ſed uti in loco maritimo Gothi plurimum poterant: nam navibus neceſſaria ſubvehebant*. Conſtat autem, quod victi perdomitique fame Gothi ad proximum flumini Sarno montem lactarium juxta Grãnianum oppidum confugerint, nunc (*Monte di lettera*) *Quare Gothorum animos uſque adeò fregit, ut rerum neceſſariarum inopia preſſi ad proximum montem confugerint, quem lacteum appel-*

pellant; oſtenditur etiam noſtra ætate pugnæ locus iuxta Sarnum fluvium, vbi adhuc oſsa interemptorum effodi narrant.

Liquet igitur Draconis amnem Sarnum ipſum fuiſſe; non aliũ è Veſuvio. Ea porro verba, quæ in feudalibus inveſtituris vetuſtiſſimis legi narrant putaverim ex conſuetudine addi ſolita, vt concedantur aquæ, aquarumq; decurſus, ſive ſint illæ, ſive non fluant in agro feudali, quibus verbis denotetur ampla, & liberalis domini conceſſio. Sunt autem in mõtanis Herculani, Octaviani, & Retinæ rupibus quædam ſtillicidia, ſeu fonticuli, qui nec perennes ſunt, & ex philtrata inter lapillos pluviana aqua progredi credendum eſt.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

De cauſis, & effectibus eiuſmodi incendiorum.

QVoniam in profundo veritatem natura repoſuit, ideo ſuã quiſque coniecturam de cauſis eiuſmodi incendiorum in medium afferre ſolitus eſt. Cautius verò egerit, qui nihil certi profitendo, veroſimilia tantum propoſuerit: ipſa autem natura noverit an ea vera ſint, an falſa. Primo itaque putarunt aliqui ſolis calorem huiuſmodi ignium vnicum eſſe autorem (*Gaſſend. tom. 2. de calor. ſubterr.*) atque ex eiuſdem radiis minerarum gravidam reddi tellurem. Sed hæc opinio ex eo reiicienda aliis videtur, quod vix paucos ſuperficiales telluris pedes à ſolis calore penetrari experiamur; cum è cõtrà mineræ, igniumque alimenta in penitiſſi-

mis,

mis, imiſque partibus gignantur. Sebaſtianus Baſso, cui conſentire Carthesius videtur, exiſtimat ex aqua marina ſubterfluente hos montes incendia prouenire, & ali. Eius verba libuit huc tranſcribere: *Quoniã materia, quæ cõtinuũ illi inflammationi miniſtrat alimentum, cum ex aqua procedat, non dubiam noſtræ ſententiæ facit fidem, quòd idem ſit ignis, qui ex mari vicino ſubterraneis ductibus euadens illic inflammetur, & qui in mari detentus tantos in eo motus citet. Sed audire lubet, quæ paucis Iuſtinus, at philoſophicè prorſus, de huius incendij cauſis protulit lib.4.cap.1.hiſtoriarum (Accedunt, inquit, vicini, & perpetui Ætnæ montis ignes, & inſularum Æolium, veluti ipſis undis alatur incendium; neque enim in tam anguſtis terminis aliter durare tot ſeculis tantus ignis potuiſſet, niſi humoris nutrimentis aleretur) Paucis interiectis id ipſum explicat (Eadem cauſa etiam Ætnæ montis*

tis perpetuos ignes facit; nam aquarum ille concurſus raptum ſecum ſpiritum in imum fundum trahit, atque ibi ſuffocatum tamdiu tenet, donec per ſpiramenta terræ diffuſus nutrimenta ignis incendat) Rectè Iuſtinus, qui per illos ſpiritus materiam igni idoneam intelligit: hanc enim materiam ſub imo montis illius fundamento intruſam paulatim deſerit humor ab indigeno calore pulſus, donec ſiccata hac materies inflammatur. Hac *ratione plerique lacus bitumen alunt, frigido nimirum humido calidum conſeruante ne expiret, vt iam ſæpiùs iteravimus.* Hæc, & alia Baſſo. Pro qua ſententia aliud etiam addunt argumentum, ſcilicet quòd ſępè ſpirantibus iis ventis, quibus ſummoperè maria agitantur, incendia hæc initium habere ſoleant, quaſi ex ea marinæ aquæ luctatione & vires habeant, & initium, & incrementum.

Sed Borrellus(*meteor. Ætnæ*) hallucinatos eiuſmodi opinionis authores

res

res vocat,exiſtimatq; non poſſe ex marina aqua inter ſubterraneos ſpecus luctante, nec ab eius pinguedine, aut ſalſugine materiam igni aptam parari. Quid? quòd etiam conſpeximus Veſuvium cum auſtro, tum Borea, tum ſubſolano ſpirante, cum etiam nullo ventorum intercurſu acrem turbante in ſumma malacia ardentem. Alia igitur quærenda eſt incendiorum cauſa, & plerique (*Sen. quæſt. natur. lib. 5. cap.* 10.) volunt halitus, aerem,& ventos,quibus cęcas, vacuaſque montiũ ſpeluncas repleri neceſſe eſt,vbi conflictentur, & percaluerint, ignitos erumpere, qua in ſententia videtur fuiſſe Lucretius. Verum,ſalua autorum pace,vix huic opinioni aſſenſerim, cùm non ſolùm in locis montuoſis, cauernoſiſque cernantur incendia; verum etiam in ſolidis, planiſque: & ventum, aerẽq; incluſum in aquas facilius verti poſſe creditur, quàm in ignes. Scripto-

res (*Gaſſen.eod.loc.*) autem reliqui ferè omnes in id conſpirant, vt ſentiant inexhauſtas eſſe ſub tellure ab initio genitas minerarum cavernas, plerumque nitri, ſulphuris, bituminiſque plenas, quæ primò quidem frigeſcant, donec ſenſim fermentando accenſæ erumpant: nam ſtatim, atque incenduntur, eruptione opus habent, cum ignis aeris libertate, & alimento, & dilatatione indigeat, aliàs ſuffoçatur. Iis itaque accenſis quando includi, premiq; nulla arte valeant (æquè ac in tormentis bellicis pyrius pulvis ſolet) qua parte minus obſtant repagula proſiliãt neceſſe eſt. Per eruptionem autem, ſicuti pila ferrea è tormentis bellicis, quamuis magni ponderis ſit, vi tamen propellentis ignis longè emittitur; pari ratione euenit, vt lapides per ipſas cavernas tantiſper obſtantes, corticemque ſuperpoſitum vis igniũ efferat, foraſq; exturbet. Neque

verò ab hac ſententia diſſentire videtur Gaſſendus, cum uult à natura principiò ſemina ignis, ſicuti aquæ, & aliarum rerum variis locis poſita; plerumque tamen ea ſemina contineri in ſuccis pinguibus ſulphuris, & bituminis. Idem quoq; addit, idcircò per interualla temporum accendi modò, modò extingui hos ignes, quòd nunc interna rupium ruina obſtruantur ignis camini, vt ſuffocetur, nunc nova vi reſerentur. De Veſuvij montis mineris patet ex ſulphuris indicio, quod circa oris ſpiracula in eius sũmitate colligitur. Nitri quoque maiorem interius, quàm ſulphuris copiam ineſſe ea ratione ductus puto: nam cum proximè elapſis annis campos omnes Veſuviani cineres ad ſemipalmarem mẽſuram operuiſsent, ſereno die cruſta veluti quędam in prima cinerum ſuperficie, ſalis colore albicans, ſolis calore educta apparuit. Hanc cum

Digitized by Google

ſæpiùs ori admoviſsem,eundē prorſus ſaporem linguæ reddebat, ac tormentarius pulvis è nitro confectus. Notabile tamen fuit, quod cineres in umbroſo loco, vel quæ aduerſæ ſolis radiis ſteterant cruſtam illam non emittebant, tantum verò quæ ſolis radiis expoſitæ locabantut.

Patère verò hinc poteſt cur diriora, vehementioraque Veſuvius incendia, quam Puteolanus mons eructet; illic enim è mero ſulphure minera ardere videtur, quod mitius eſt: in Veſuvio è nitro, quod vehementius. Bituminis quoque magnam copiam in eo occultari arguunt tum ex oleo, quod circa Veſuvianum litus mari ſupernatans colligitur bituminеæ naturæ (*Petroleon* vocant) tum experientia, quòd ignis, qui extremo incendio effluxit anno MDCXXXI. rebus, corporibuſq; adhęrebat, quaſi eſset untuoſus. Quod verò alii narrant ad augenda miracula, in illo

ſci-

ſcilicet venas talci, argenti, calybis extare, id qua ratione ſcripſerint non inuenio. Quamuis enim nonnullos lapides, lapillos, multiplicesque arenas obſervaverim, nunquam licuit aliquod earum rerum indicium aſſequi. Cernere tantùm datum eſt in quibuſdam lapillis minutim effractis pellucidas quaſdam veluti talci, aut potius vitri informis particulas, quæ forſan in earum minerarum ſuſpicionem aliquos induxere. Sed illæ quidem nec talci, nec æris, nec argenti ſunt particulæ; merus enim is ignium effectus eſt, à quo lapides illi, lapillique exuſti fuere. Notum quippe eſt rerum naturalium peritis ex vehementi quoque igne vitrum gigni, veluti ſal quoddam rerum vitrum ſit, in quo ignis vehementia tandem ſiſtatur.

Illud autem non ſatis compertum eſt, qua cauſa cum accēſas ſemel mineras integras deſtrui ſit neceſſe,

ideoque notum ſit per ingens tempus neque ignem, neque fumum expitaſſe Veſuvium qua(inquam) cauſa, quave materia denuo reſtaurari per ætates videantur , quiſve extintum iam ignem refoveat ad mineras incendendas. Enimverò qua ratione natura quibuſcumq; rebus ſua alimenta ſufficit, eadem videtur ſuffectura ſulphureis, & nitroſis venis materiam, & proinde ita vegetari mineras, vt & ipſas lapideas venas in lapidicinis vegetari pleriq; affirmant. Quæ ſi vera ſunt quod regenerentur eà minerarum genera, iam minoris erit difficultatis decernere, cur denuò accendantur.

Putarunt plerique calidas exhalationes in illo grandi montis utero incluſas, vbi iam in eam copiam creverint, vt latiorem requirant locum exitum ſibi parantes confligari inter ſe, qua conflictatione exardeſcant denique, flammamq; parent mineris.

Et certè ex eiſdem mineris eos rariores ſpiritus, parteſq; educi poſſe credibile eſt, vt ſpontè ſua incendantur: cum præterea multa arte, manuque factitentur, quæ ex ſe ipſis accenduntur, ut non diſſimilis ratio eſſe videatur producti abſque autore in Veſuvio ignis. Borrellus probabile putat cuniculos minerarum ad ipſum montium corticem extendi poſſe ſoli expoſitum, cuius radijs incenſi per foraminula introrſus ignem propagare queant. Non audiendi tamen ſunt, qui volunt perpetuos in eo foveri ignes, continuamq; flammam licet non apparentem: nam præterquã quod aliquod ſui indicium (vt nunc cùm continuantur) darent; depaſcendo etiam mineras concreſcere prohiberent. Sed iam iſthæc philoſophis inueſtiganda relinquamus, quorum ſententias referre tantùm ſummatim libuit, hiſtoricèq; narrare, ut unicuiq; liceat quam velit amplecti.

Effectus Veſuvianorum incendiorum, quantum obſervare licuit ex proximè præteritis, multi ſunt, & admirandi. Primò quidem mons ille terræmotu ſævit, cum incenditur, & ſoli ſuccuſſatione: ſed illa in proximam regionem, quàque ſuæ continuantur cavernæ impetum habet, nō ultrà: undè liquet à ſpiritibus, ſeù ignibus exitum, ampliore mq; locum quęrentibus eos motus cieri, æquè ac bellica tormenta murum, viciniamq; cum diſploduntur, quatiunt. Ingentes quoq; bombos, ac veluti tonitrua, quibus ſępè crepitat, à flammis edi quoquè putandum eſt è ſuperno orificio erumpentibus, eadem ratione, qua ignis è tormento diſploſo longè, lateq; pulſo circumiecto aere, & fulmina è nubibus tonant. Mugit etiam quandoque, ſcilicet nō illos boatus reddit horriſonos, ſed veluti immurmurat, ut ſimiliter domi vaporarius caminus accenſo ve-

he-

hementi igne ſolet. Præterea lapides nunc maiores, nunc minores, vti minor incendiorum vis eſt, euibrat, quibus montana, planaque eius ora per intervalla conſperſa eſt. Ex ijſdem verò lapidibus interius ex ardore cõbuſtis cineres parari reor, quas ſæpiſſimè, & nunc iam aſſiduè iactat, illas quidem ſurſum, rectàq; elatas mox à ventis qui caſu ſpiraverint, ſive auſtro in mediterranea, ſive ſubſolano in maria euehendas. Certè ſi lapides veſuvianos minutim conteras, eiuſdem generis cineres habebis, ac mons effundere ſolet. Legitur olim cineres Veſuvianos Bizantium vſq; in Aſiam delatos. Certè conſtat hoc ultimo inter maximos incendio anni MDCXXXI. cineres ad Adriaticas urbes Italici, Dalmaticiq; litoris perveniſse, & præternavigantes nautas cineribus cõſperſos. At quod maiorem perniciem propinquis populis affert, ſunt ignei è bituminis

ma-

materia, ſive ex liquatis lapidibus, ut cenſet Borrellus (*eod. lib. Ætnæ*) torrentes, quos in maioribus eruptionibus fundere ſolet; Eos non niſi æri, ferroq; fuſo comparando explicare auderem: nam eadem natura ſunt liquidæ primò materiæ, atque ardentis, flammiſq; coruſcantis, & pariter durantur hi Veſuviani rivi in nigricantem lapidem, ac fuſa æris, ferriq; materia frigore duratur. Superaverunt autem bituminatorū amnium miraculum calentes aquæ, quas ex eodem ore, quo ignes recenti memoria evomuiſſe narrant. Abſorpto enim, eſiccatoq; proximo mari (uti volunt aliqui) eam poſtmodū aquarum molem calefactam à ſummitate in orientalem præcipuè regionem immiſit, extremo undè fluxit excidio ſilvas, rura, domos, homines evehentem. Sed quoniam maiora ex alijs Scriptoribus haberi poſſunt, deq; hac aquarum calidarum origine plenius
diſse-

diſſerendum, hæc in præſentia ſint ſatis; remanetq; dicendum.

CAPVT NONVM.

An Veſuvij minera cum finitimis incendiarijs locis communicet.

DIgna res, quam inveſtigemus, & multi ponderis erit decernere, an Veſuvius per ſubterraneos ſpecus aliquid communionis habeat cum Puteolano foro Vulcani, & Inarimes fontibus calidis, ſulphureiſq; ita ut per cuniculos ea minerarum genera continuentur ſimul, & coniungantur, & ea ſola ratione diverſa appareant, quòd alia aliis in locis ora ad erumpendum reſerantia nomine loci, aut orificij diſtinguantur. Hinc pendère poteſt aut alta ſecuritas, cùm ſolum urbis Neapolitanæ ſtabile ſit iudicandum, non cavernoſum, & hiatibus obnoxiũ, aut timor ne aliquando deficiat, & ingen-

gen-

gentia edat damna. Pleriſq; autem placuit mineras eas continuari, quã rem pluribus probatam volunt conjecturis. Primò enim aiunt, ſitum locorum, diſtantiamq; vix notabilem ſuadere, ut ita ſe res habeat: Inarimen, & Prochiten cùm Puteolano agro olim connexas fuiſse ſuſpicantur, & intermedio ſpatio per incendia inde diſſipato mare interfluxiſse, aut certè terræ motibus ex incendijs excitatis diſiunctas eſse. Conſtat porrò, ſi Virgilio credimus, ex eruptione ignovomi montis (qui in Inarime calidas nunc tantùm fundit aquas) olim tantas cinerum, lapidumq; copiam exiliiſse, ut ex iis in unum locum cadentibus Prochite inſula ſit enata: ut ſimiliter anno MDXXXVIII. ex incendio montis iuxta Puteolos una nocte atavorum ævo tantæ evolaverunt cineres; ut dum uno venti tenore ferrentur, & in eundem locum vergerent, caderentq;, in campeſtri

ſpa-

ſpatio non longinquo montem, quem nunc nouum appellant excitaverint. Porrò credibile putant Inarimis mineras cum Puteolanis coniungi: has etiam ſemper diffundi, & continuari, &per colles leucogeos uſq; ad Cryptam Cocceii Nervę opibus in via Neapolitana perforatam, ignium indicia, ſcatentium aquarum thermas, & cryptas ſudatorias patère compertum eſt. Obſervatum quoque eſt in colle luculliano, quod vulgo *Echia*, vel *Pizzofalcone* dicitur, in ipſis urbis Neapolitanæ viſceribus aliquos manare aquarum calidarum fontes: imò Thomas Cornelius earundem obſervator apertè tradidit eum lucullianum collem olim arſiſse, arenarum pellucidarum, quæ ibi, ut & circa Inarimen colliguntur, & ex eo thermarum argumento. Quòd cum hinc non remotus ſit ad Veſuvium tranſitus, inde putant coniecturam non iniquam elici ex ea locorum continuatione,

tione,& litorali vicinia internis quoque, ubi non apparent, cuniculis eas mineras coniungi.

Alij verò profundiorem nacti cauſam, non aliam inquiunt eſſe rationem cur ſolum campanum, Neapolitanumq; terræmotibus ſæpiſſimè quatiatur; niſi quòd inde producantur, ſcilicet ab infimis cuniculis, quibus Veſuvianus, & Puteolanus crater iungantur: iis enim accenſis; ſive ſpiritibus funditus per eas cavernas diſcurrentibus ab uno ad alterum montem terram ſupernam cieri putant, qua cauſa ſolum Neapolitanum ſępiſſimè eo damno vexetur.

Verumenimverò ſi nos Borrelli positiones ſequamur, ſtatim ab his omnibus ærumnis, & immanibus, qui inde proveniunt timoribus levabimur. Evidentius enim eſt has fornaces non multo profundiores eſse iis ipsis ſcaturiginibus, quæ externa facie apparent, aut ſaltem ad

ma-

maris libellam vix progredi. Quæ ſi vera ſunt, hos locos, montes, mineraſque nulla cōiunctio intercedere poteſt, quæ non niſi per cuniculos multo inferiores maris libella intelligi poſſet. Idcircò nec Inarimis fontes cum foro Vulcani continuabuntur, nec minera Puteolana quidquid cōmune habebit cum colle Luculliano; minuſq; hic cū Veſuvio coniungetur, qui vndique vel mari, vel campeſtribus locis ferè ad libellam maris demiſſis cingitur. Hinc ſequitur quòd alia ex cauſa dicendum ſit terræmotus pendere, quibus noſtra ætate creberrimè vexamur: obſeruatum enim eſt in remotis regionibus quinquaginta ferè leucis à Veſuvio, & Vulcani foro diſſitis maximoperè ſæviiſſe, ubi urbes, oppida, pagi quaſſati ſunt, qui è conuerſo in ipſa vicinia Veſuvij, Campaniaq; vix tenuem ruinam patrauerint.

Quæ etiam ſi vera ſunt, clariſſimè

decernere hinc licet Veſuvij voraginem in ipſo montis corpore latitudine, qua creditur, non patère; & certè ad maris libellam non peruęnire. Vnde etiam concedendum eſt aquas, quas anno MDCXXXI. emiſit, à mari non advęniſſe, ſed alia ex cauſa; eamque, quam narrant maris eſiccationem, quamq; tãtopere iactant, certam uſquequaq; non eſſe, deq; eventus fide dubitandum; cum præſertim in magnis ſucceſſibus enarrandis maxima quotidie ſequantur additamenta.

Vtinam vèrò hæc ſe ita habeant, qualia Borrellus velle videtur. Cõmunius aſſerunt etiam ſubter aquarum molem, ſubterque ſolum, cui maria incumbunt, igneas mineras ardere, cavernas concamerari, & eruptiones ignium gigni. Inſulam ex imo maris, cum fumarent, ſpumarentq; aquæ, ignisque ex ijs aſſurgeret, enatam in AEgęo ſcribit Poſſidonius. Similem in-

inſulam inter ignem, fumumq; ex infimis maris viſceribus prodiiſse Valerio Aſiatico Conſule teſtatur Seneca (*quæſt. natur. lib. 2. cap. 26.*) ijs verbis: *Quorſus hæc retuli? ut appareret nec extinctum ignem mari ſuperfuſo, nec impetum eius gravitate ingentis undæ prohibitum exire. Ducentorum paſſuum fuiſſe altitudinem Aſclepiodotus Poſſidonij auditor tradidit, per quam diruptis aquis ignis emerſit.* Quæ ſi vera ſunt, non adeò temerè quis ſuſpicetur has cavernas nihil impediente ſuperpoſito mari per inferiores cuniculos continuari. Quarum rerum veritatem nemo niſi ſuorum operum conſcius, & artifex Deus aperire nobis poterit. Cæterùm liberum erit unicuiq; de his, quæcumq; libuerit, opinari.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM.

Montis Veſuvij, & Ætnę Parallelum.

BOrrellus AEtnęi incendij, qui anno MDCLXIX. contigit, oculatus obſervator omnia phęnomena, quæ in illo conſpecta ſunt luculenter ſcripſit; eventuumq; illorum rationes ita explanavit, ut non ſubtilibus argumentis rem perſuadeat, ſed manu quaſi tangi, oculiſq; videri poſitionũ ſuarum veritas poſſit. Itaque cum eadem ferè in noſtro Veſuvio eventuum veſtigia obſerventur, non mihi licebit modò, quæ ipſe ingenioſiſſimè dilucidat, veluti propria vindicare inventa, aut ſaltem eadem iterare, cum facile ſit omnia videre apud ſuum libellum? Placet tantummodo hic ſimilitudinem effectuũ, operumq; vtriuſque montis referre, ut inde ea ipſa, quæ de AEtna diſſeruit Borrellus, in

Ve-

Veſuviano themate dicenda cenſeamus.

Primò itaque AEtnęus mons in ſummitate fumat,& veluti primarium os habet ſuarum evomitionum: ità pariter Veſuvius in ſummitate habuit,habetque ſuum cratera;quamvis ſenſim decreſcente monte demiſſius fumet.Ex coſtis quoq;lateralibus Ætnæ ſæpè erumpit incendiũ: Veſuvius ex lateralibus coſtis noſtra, aut maiorum ætate non emiſit ignes: apparent tamen ea parte, qua ad mare, & meridiem vergit exceſæ rupes, & glareoſæ, quæ indicant olim non ex ſuperioribus locis, ſed ex latere olim eas erupiſſe. Porrò non alio modo hiſtoria de Spartaco è Romanorum manibus per Veſuvij cavernas elapſo intelligi poſſet,niſi laterales ſpecus cõcedamus. Legimus.n.illum cũ exercitu fugitivorũ ſervorũ, dum à Romanis in Veſuvio obſideretur, nec effugium aliundè patèret; deluſis Roma-

nis per os cavi montis vitigineis funibus ſe,ſuoſq; demittendo alia ex parte (qua fortè ſpelunca habebat exitũ) incolumen evaſiſſe. Concedamus itaque oportet ſpeluncam in eius latere patuiſſe, vndè olim glaream, arenas, lapideſque emiſerat, quæ frigida iam poſt incendia, integra tamen concameratione extaret;oſque duplex,ſcilicet ſuperius, & inferius habuiſſe, in quorum primum illi funibus illapſi, ex inferiori elaberentur.

Sed vlterius progrediamur: mons AEtnęus quandoque lapides, arenaſque in unam partem emittens colles, monticuloſque erexit; ſicuti eveniſſe etiam conſtat in eruptione montis iuxtà Puteolos. Quamvis autem ex nullo Hiſtorico id quandoq; factitatũ à Veſuvio peculiari obſervatione legamus; tamen patet explorantibus illũ in declivi parte iuxta radices duos monticulos rotundos continere,quorum alter vulgò *delli Camaldoli*, alter

la Civita, dicitur; quoſq; è materia Veſuviana, cum in unam eandemque partem vergens aggereretur, conſtitutos patet.

Exit quādoq; è Veſuvio Glarea, ſive materia fluēs ex lapidibus, areniſq; vehementi incendio liquatis producta: & ut pariter eādem Glaream ab AEtna progigni ſcribit Borrellus, qui apertè (*cap.* 5.) hanc ipſam glareā AEtneæ ſimilē è Veſuvio prodire ſcribit; quāvis alius recentior à ſe primum id obſervatum aſſerat, quod iampridem á Borrello habebamus. De huius porrò glareæ generatione cum quærimus, aſſentiamur oportet eidem Borrello, qui igneam vim eandem prorſus in his fornacibus eſſe exiſtimat, ac in fornacibus vitrarijs, in quibus vitrarij lapides excoquuntur, & mixto ſale ammoniaco vitrificātur. Materiam verò vitrificatam haberi ex lapidibus, arenis, coſtiſque montanis intus fornacem collapſis, deficientibus incimis

concamerationibus certum eſt.

Duo tamen phęnomena non obſervata in AEtna comperio, quæ in Veſuvio aſpiciuntur: quorũ alterum eſt calidarum aquarum evomitio, alterum dici poteſt pumicei lapidis copia, qui circa Veſuvianum littus à mari eijcitur, non dubiè à Veſuvio producta. Memini cum proximis elapſis annis in Veſuviana vicinia ſpatiarer, nubem in nos ex illo detonuiſse lapillorum tum minimorum, tum magnorum; quorum tamen magnitudo anſerinum ouum non excederet. Hi porrò lapides vix ullum pondus habebant tantùm nigricanti colore horridi, ſpongioſique, & maximę levitatis: quos ipſos mari ablutos, & nigredine purgatos pumices eſſe non ambigo, quæ circa id littus, & Neapolitanum magna copia leguntur. Cæterùm, ut de aquarum materia diſſerere proſequamur, vulgò putant mare infimam interioris cavernæ Veſuvianæ

par-

partem incurrere: indè cùm vehementiſſimum aliquod incendium ſævit, eam ipſam marinam aquam veluti ſiphone ad ſuperum os trahi evomēdam; eamque calidam fieri, ſive in eo ipſo loco, unde trahitur, ex circumſtātibus ignibus, aut particulis igneis ferventem, ſive per eos ipſos montis longos tubos calefactam, dum trahitur. Addunt quoq; & hoc aliud argumentum: nam ſi mare non in ipſam cavernam incurreret, unde eſſe poterit, quòd petroleum, quod ipſius bituminex mineræ excrementum eſt, in proximo mari ſupernatans colligatur?

Thomas Cornelius, & Borrellus ex mari trahi ad eam ſummitatem marinam aquam non poſſe exiſtimāt; nec quidquam cōmune cum ijs cavernis habere proximum æquor: idcircò Cornelius putat ex intimis gurgitibus, fluvijſq; ignotis, qui in Veſuvij viſceribus ſunt, eaſdem aquas pro-

dijſſe

dijſſe potiùs, quàm ex mari aquas abſorptas, provolutaſq; concedat.

Sed in hoc illud occurrit: nam ſi ſunt hi aquarum gurgites, & flumina in profundis Veſuvij partibus; nonne eadem difficultas incurreretur, quo ſcilicet pacto ex inferiori parte hæc ipſa flumina ſursùm tracta ſint calefacta, & ex ſuperno ore poſt modum in inferiores plagas devoluta? Qua autem arte hoc fieri de fluminibus potuit, cur non eadem mare trahi potuiſſe dicemus? Sed quæ porrò flumina, aut internos gurgites in Veſuvio conſideramus, quando is mons ſolus, & velut in inſulam redactus nulla ex ſui parte flumina, nec rivos emittat? an has aquas in eius utero ſtagnantes credere nos oportet abſq; ullo initu, abſq; ullo exitu?

At quoniam de hiſtorica veritate huius eiectamenti calidarum aquarum certum eſt; ut dubitare de eiuſdem fide non poſſimus, cùm viuant

adhuc

adhuc plerique ſeniores, qui teſtes oculati tunc,rem nunc ex ordine narrant; nec adhuc de cauſis eiuſdem plenè conveniamus: libet mihi aliam coniecturam de iiſdem tradere.Suſpicatus enim ſum eaſdem aquas fuiſſe ex pluvijs, quæ eo tempore inciderunt,creatas, eaſque in cratere,& ſuis vallibus ex recentibus cineribus calefactas in inferiora defluxiſſe. Huius autem poſitionis (ne adeò monſtruoſa appareat) aliquam reddam evidentiam. Primò enim ſciendum arenas Veſuvianas recèns emiſsas adeò glutinoſas eſſe, ut antequã ex diuturnis, & replicatis pluvianis aquis ea pinguedine eluantur, & eſiccentur; primas pluvias non ſolum non accipiant, aut ſorbeant: imò verò eaſdem integras eiicientes torrentes aquarum creent, ſicuti noſtra pavimenta, & tecta cretacea totam pluviam aquam reijciunt in vias, nihilq; illius ſecum retinent. Hoc obſervatum eſt tum in

anno M.DC.XXXI. tum in anno M.DC.LX. cum etiam aſſiduè in omnibus arenarum eiectionibus, in quibus recens poſt cineres aqua non ebibitur, ſed emittitur integra ab arenis compactis.

Quod cum verum ſit; credibile eſt pluvianas aquas, quæ in vaſtum illud cratera inciderant, & in montanas valles, & ſpatia; ab arenis tunc ſuperfuſis non eſiccatas, vel receptas, tota ſua mole in eam partem orientalem, unde fluxerunt, ſe emiſiſse, & calorem ex ijſdem arenis accepiſse, per quas devolutæ ſunt. Certum autem eſt mihi ex ſeniorum dictis non ſolum primò calidos torrentes, dum adhuc mons igneſceret, ſed poſtmodum etiam ubicumq; pluvia ingruebat, frigidos torrentes inſolitæ vaſtitatis à monte elapſos; nec aliunde cognitum eſt ab oppidanis id provenire poſse, quàm ex compactione, & ſoliditate, qua arenæ aquam reſpuebant;

ſicuti cognitum eſt in alijs quoque, quæ ſubſequutæ ſunt arenarum ciectionibus; ſemper enim hi torrentes hac cauſa enati ſunt, donec diſſolutæ non ſint compactę arenæ, aut ipſarum compactio frequentioribus pluvijs ſit eluta.

CAPVT VNDECIMVM.

De numero eorundem incendiorum.

CVm rerum anteactarum non niſi ex hiſtorijs certa notitia haberi poſſit; hinc eſt, quod ijs deficientibus Veſuvij eructationum numerus à nobis iniri probè non poſſit. Etenim priuſquam ſive Græcis, ſivè Romanis imperantibus Campaniæ, literæ ijs oris inferrentur, & miteſcerent incolarum ingenia, certè rudia fuerant, nec de conſcribendis ad poſterorum eruditionem hiſtorijs erat cogitatum. Evanuit itaque, ſi quæ fuerat, veterum erup-

eruptionum memoria literis non tradita; vt non niſi à Strabone primùm de Veſuvio legatur, qui non obſcurè ſcripſit extare ſua ætate indicia tranſactarum cladium. A pleriſq; autem numerantur vigintiHiſtoricis cognita incendia: cuius ſententiæ extat in via Regia apud Veſuvium inſcriptio huiuſmodi:

Poſteri Poſteri
Veſtra res agitur.
Dies facē præfert diei, nudius perendino.
Advertite.
Vicies ab ortu Solis arſit Veſeuus;
Niſi fabulantur hiſtoria.
Ne poſthac incertos occupet, moneo.

Recupitus tamen diligentiſsimus eorundem numerator, minoris excidii incendiis præteritis, duodecim enumerat ad ſua tempora, quibus tertiumdecimum eo ſcribente flagrantem addit. Primum itaque, de quo legatur, fuit anno octogeſimo à Chriſto nato Tito Ceſare imperante, quo

Pom-

Pompeii, & Herculanum civitates euerſæ; cum tamen legatur apud Florum, tam pridem Romana republica ante Cęſares florente vacuum extitiſſe, & cavernoſum Veſuvium. Secundum incendium memoratur anno ducenteſimo quarto Severo imperante. Tertium anno CCCCLXXII. Feſto, & Marciano Conſulibus. Quartum, & quintum inſequentibus illum annis extitere. Sextum exarſit anno DXII. quo cineres effuſi arbores uſque ad cacumina ſubegere. Septimum ſcribit Sigonius anno DCLXXXV. Octavum idem autor anno DCCCC. LXXX. multis poſt antedictum ſęculis. Nonum locatur anno DCCC. LXXXXIII. Decimum ex Caſſinenſi Cronico anno MXXXVI. Vndecimũ, quo flagraſse quadraginta diebus dicitur Veſuvius, ponitur anno MC. XXXVIIII. Duodecimum anno MD. Tertiadecima denique eruptio, quæ facilè omnes alias clades ſuperavit,

fuit

fuit noſtrorum patrum memoria anno MDCXXXI. quam eleganter à Recupito deſcriptam legere eſt penes ipſum, à quo tamen breuiter tranſcribã. Exarſit enim Veſuvius primò terra medioctibus motibus quaſsata diuturnè: mox cineres effudit; inde ignitos lapides, quibus per proximam oram emiſsis arbores, tuguria, ædificia incendit. Memini quamplures ſeniores vidiſse, alios digitis manu truncis, alios brachio debilitato, alios capite cicatricem gerentes, qui in ipſa fuga à pluviis lapidibus percuſsi ad noſtram vivebant ætatem. Præter hæc torrente igneo ſeptem circiter oppida delevit, eiuſque cladis unum hoc remanet beneficium, quòd nunc iis ſilicibus in urbanis viis reficiendis utamur, qui quondam in aquarum formam fluxerant, duratis poſtmodum in lapidem. Aquarum indè eluvio, mariſque eficcatio, quam memoravimus, extrema fuit labes. Periere tunc præter

ter innumera cuiuſvis generis animantia, hominum ferè decem millia, conſumpta ſunt.

Addendum porrò eſt nuperrimum poſt Recupitum anni MDCLX. incendium, quo ſin minus hominum aliquis, certè pleraque animantia, & ruta omnia periere. Vidimus tùnc novo aucupij genere maiores, minoreſque aves manu capi, aut virgis cædi; cum oculis captæ ob arenam, quo volatum dirigerent, neſcirent. Quod ſi, quæ poſtea minitatus eſt incendia quotidiè, quos emiſit cineres quoque anno, aut menſe, memorare velimus, tempus, & calamus deficeret. Cæterum ipſa iam conſuetudo metum omnem circũoppidanis demit; malumque illud, quia frequens, ſpernitur. Dum tonat, dum igneſcit, dum pluit cinere, ſecuri tamen dormiunt; aut rebus vacant ſuis, periculi frequentia ipſius metum minuente.

(?) (?) (?)

CAPVT XII.

De initio, fine, vel diuturnitate eiuſmodi incendiorum.

LIbet autem hic de re incerta cum libertate coniectari: nam ſicuti, ſi animum ad tranſacta tempora aduertamus, nulla eſt (niſi è ſacris literis) de orbis initio memoria; ita nec de eiuſmodi ignium initio. Pariterque cùm nùlla ſapientia ad inueſtiganda ea, quæ futura ſunt, vires habeat; ita nec quam à Veſuvio ſortem futura tempora ſint latura, agnoſcere poterimus. Sed quoniam à vera pietate abhorret illa ſententia, quæ orbem, ſiue machinam hanc rerum ſemper fuiſſe, ſemperq; futuram aſſereret: quippe quæ numinis poteſtatem, conditoriſq; nomen Deo abrogaret, ideò initium, ſicuti cætera, habuiſſe hæc incendia dicendum eſt. Quid tamen? an initio alicubi productæ; locatæque ſunt; atq; ubi locatæ, ibi perpe-

petuò exarſuræ ſunt mineræ, igneiq; camini? Enimverò cenſerem non perpetuas eſſe, addictaſq; alicui certo loco mineras; ideoq; & ubi adhuc non fuere generari eas poſſe, & ubi iam fuere ſuum finem ſortiri. Et hoc ſiue elementarem doctrinam ſequamur:ſiue aſsentiamur res omnes idem eſſe, & ex eodem fieri omnia, dummodo mutent particulæ locum, ſicuti omnia eſſe idē, & ex omnibus idem fieri, & elementorum diſtinctionem imaginariam ſcribit Seneca (*quæſt.nat. cap.*10.*lib.*3.) Quam ſententiam quoq; poeticè ornat Ouidius (15.*metam.*)

——— *Reſolutaq; tellus.*
In liquidas rareſcit aquas, tenuatus in auras,
Aeraq; humor abit, dempto quoq; pondere rurſus
In ſuperas aer tenuiſſimus emicat ignes
Inde retrò redeunt, idemq; retexitur ordo

Ignis enim denſum ſpiſſatus in aera
tranſit,
Hinc in aquas; tellus glomerata cõ-
gitur vnda,
Nec ſpecies ſua cuiq; manet, rerumq;
nouatrix,
Ex alijs alias reparat natura figu-
ras.

Libuit etiam alijs ita ſomniari. Ex quadam telluris,ſpirituumq; mixtione, & ſolis vi fermentari poſſe congruo adhibito tempore qualibet regione occultos ſales, & pro eorundem quantitate,ſiue partium motu,& validiori fermentatione concreſcere mineras, quæ ubi ad partium ignearum formam proximè acceſſere, ad eamq; raritatem peruenere, ſpontè ſua igneſcant. Vnde eſt, quòd, quæ nunc ardent mineræ, olim quidem non eandem naturam habuiſse videantur, quo uſq; non fuerint, ut ita dicam, ad eam ſubſtantiam excoctę, & quæcumq; nunc ſimplex tellus ad eam ſubſtantiam matureſcere quan-

quandoq; poſſit; ſicuti, & qui prægnantes minerarum ſunt loci extincta aliquandò ea fermentatione aliam naturam induiſse videbuntur, & ne deſint huic fabulæ Poetæ, audiamus Ovidium (*eod. loco*) de ciuſmodi ignium fine ita diſserentem:

Nec quæ ſulphureis ardet fornacibus Ætna,
Ignea ſemper erit; neq; enim fuit ignea ſemper:
Nam ſiuè eſt animal tellus, & vivit, habetq;
Spiramenta locis flammam exhalantia multis;
Spirandi mutare vias, quotieſque mouetur,
Has finire poteſt, illas aperire cavernas:
Sivè leves imis venti cohibentur in antris,
Saxaq; cum ſaxis, & habentem ſemina flammæ
Materiam iactant, ea cõcipit ictibus ignem;

 An-

Antra relinquentur ſedatis frigida ventis:
Sivè bituminea rapiunt incẽdia vires,
Luteaq; exiguis areſcunt ſulphura fumis:
Nempè vt terra cibos, alimentaque pinguia flammę,
Non dabit aſſumptis per longum viribus ęuum,
Naturęque ſuum nutrimen deerit ędaci;
Non feret illa famem, deſertaq; deſeret ignes.

Certè fertur Gaurum montem, ex cuius ſummitate amphitheatrum æquè, ac in Veſuvio cernitur, flammis olim arſiſse, quarum vi longè emiſsa mediæ tellure id vacuum ſcribunt effectum. Laborios quoq; campos, qui iuxtà Puteolos ſunt, ubi dicitur *à Quarto* (*Pellegr.ap.campan.*) qui nunc ſoli cernuntur, quã reliqui demiſſioris, olim quidẽ ęquales circumpoſitis campis fuiſse indi-

dicat Pellegrinus, donec arſerint, igneque egeſti in vallem evaſere, notæ ob calorem fertilitatis. Hæc autem memorata loca frigida non modò ſunt, ſed ne ſignum quidem incendiorum retinent. Econtra verò montem Epopon, qui frigidus prius fuerat, cùm repente flammæ ex eo emicuiſsent, campeſtri æquatum planiciei ſcribunt. Mihi quoq; narratum eſt (niſi vanus rei author) in quibuſdam Lucanæ Prouinciæ agris ignes veluti errantes, eque terra prodeuntes ſæpè per intervalla temporum cerni, ſcilicet iàm matureſcentis incendij indicia; Verum enimverò (utcumq; res ſe habeat) quando iàm nos præſentia Veſuvij damna ſentimus, æquum eſt, ut nos met ipſos, aut potius poſteros, ſivè vera, ſivè inani ſpe de eiuſdem incendijs finiendis, aut decipiamus, aut ſolemur.

CAPVT XIII.

De populis ea calamitate ſubleuandis, & ſimilibus reliquo Orbe incendiarÿs locis.

REm gratam Veſuvij popularibus faciam, ſi eos omni ope adiuvandos ſimilibus cladibus oppreſsos ediſſeram, ſumpto ab antiquis ſæculis exẽplo miſerationis, & munificentiæ, qua uſi ſunt ergà ipſos, tunc Reipublicæ Principes. Et quidem, ſi quis unquam populus aliqua calamitate oppreſsus dignus eſt Principum providentia, & pietate; quis non miſereatur eius viciniæ, & oppidanorum, cum ardet Veſuvius; quibus lares (ſi modò patet effugium) deſerere, domus dirui, agros peſsundari contingit? Neq; porrò deeſse Regum munificentia debet, quibus ipſa tellus deficiat, patriumq; ſolum. Reliqnis populis ſingulæ, perq; vices ob-

obuenire ſolent calamitates, modò tẽpeſtates, modò terræmotus, modò ſterilitas, modò incendia, modò funera. Veſuvius autem uti malorum omnium compendium vniuerſa ſecum trahit, funera, incendia, ſterilitatem, terræmotus, tempeſtates: Ipſum etiam aerem inquinare accolis ſuis ſolet, cùm erumpit. In incendio itaque, qui primus memoratur ſub Tito Cœſare, hac ſolertia prouiſum eſt Cãpaniæ (*Sueton. in Tit.*) *Curatores reſtituendæ Campanię è Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſuvio, quorum hæredes non extabant reſtitutioni oppreſſarum Ciuitatum tribuit.* Quæ bona ad fiſcum Cęſareum ſpectabant recto Iure. Theodoricus quoque Gothorum Rex totæ Campaniæ Tributum remiſit, quæ exuſta incendio Veſuviano fuerat ipſo regnante. (*Sigon. de Imp. occid. lib.*) Hanc autem tributorum remiſſionem veluti æquo Iure afflictis popularibus debitam, indultam quoque legimus pe-

penès Tacitum alia eius Orę clade: ut pariter Catanenſi Civitati ab Aetna damnum paſſæ remiſſum à Romanis tributū. *(D. Aug. de Ciu. Dei lib. 3. c. 31.)*

Sed nè ſolius Campaniæ ſolum eam videatur montium perniciem ſinu fovere, narrant Hiſtorici vbiq; terrarum extare haud diſſimiles locos, incendiarioſq; montes; adeò ut commune ſparſum per omnes gentes id mali genus ſolari quodammodo videatur Campaniam in hoc infortunio. Vltrà igitur nobis nota, Puteolorum ſcilicet forum Vulcani, Aenariamq; Inſulam, Ampsātum in Hirpinis, Vulcanum in Inſulis Aeolijs, Aetnam in Sicilia eadem clade erumpentem; ſunt præterea mons Olimpus, & Theon in Aetiopia, Chimera mons, qui idcircò dedit fabulis infingendis anſam Poetis. Cosbanius quoq; talis eſſe dicitur in Bactris, Ceſtia apud Medos, Argeus in Cilicia, Aegla, & Helga in Islandia; Enimverò ipſe etiam auri, argentiq; fodinarum, gem-

ma-

marumque divitijs felix nouus orbis has quoque infelicitatis notas retinet. In Mexici regno eſſe dicitur Maſaia mons apud Niguaragam duplici ad maius excidium ore exeſtuans. (*In Vita Ferdin. Corteſij.*) Apud Guatimalã quoque pręgrandis locus invenitur centum longus milliaria, triginta latus: Hic anno M.CCCC.XXXI. altera è ſuis voraginibus exarſit, omnemq; circum latè regionem ſaxis igneis, aquiſq; calidis peſſumdedit. In Thlaxcaglianis populis, oriſq; ignita loca extare dicuntur ſulphuris, aluminis, & cęterorum huiuſmodi copioſa. (*Horum pleraq; ex Atlante*) Apud Inſulas Terzerias mons eſt, quem narrant non vt reliqui è ſummitate, ſed ex imo margine flammas, ignitoſq; lapides emittere. In Canarijs Inſulis mons ſpectatur orificio tenus viridis, & amænus, inde tamen fumum, flammamq; æquè, ac Veſuvius evomens. Maffeus (*lib.* 15.) etiam diligens rerum Indicarum ſcriptor ſimilis omninò

ninò prodigij montem in Inſula Orientali Ternati dicta, deſcribit, qui tunc fortè exarſit, cum Inſulanis bellum à Luſitanis inferretur, quę res ad ſubigendos populares maximam dedit opportunitatem, ea namq; fuit cinerum emiſſarum copia, vt foſſis, aggeribuſq; quos ad propugnandum hoſtes paraverant, repletis, omnia ad inuadendum prompta, parataq; Luſitanis reddiderit.

Hęc autem ſunt celebriora loca, quę ab Geographis memorãtur. Complura etiam ſunt, quę quia calidos tantùm fontes emittunt, aut ſulphureas aquas, aut gravem mephitim, non tamen aut incendia, aut motus cient; prętermittimus, cum numerum ferè non habeant.

SCripſimus hęc olim amicis poſcentibus, inter quos eadem diſſerebamus. Prętermittere autẽ nõ debemus, ꝙ nuper accepimus ab Antonio Mon-

for-

fortio viro ſciẽtiis, & pręcipuè mathematicis, necnon peregrinatione apud Turcas illuſtri. Narravit enim nobis Inſulam Santorini, quę in Archipelago fuit oppidis, & vicis referta(*Porcaccius in Inſulario*) nuperrimè evanuiſse, & medio mari obrutam. Nam cum hęc montem ignivomum in umbilico haberet, tam ingenti incendio exarſit, ut tota Inſulà ex penitis radicibus diſrupta ſit, & mari cooperta. Notandum autem magnoperè, quòd eo incendio peracto circumvicina maria undiq; pumicibus fluitantia viſa ſint, in quos ſcilicet Inſula ſoluta fuit; quod & ipſum ſubter maria cuniculos igneos meare argumento eſt. Magnoperè etiam ad rem facit libellus à Gaſpare Paragallo I. C. eleganti etruſco ſtylo nuper editus de Terręmotibus, quem cum utilitate, & voluptate leges.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOSEPHI MACRINI

I.C. NEAPOLITANI

POEMATA.



NEAPOLI
Typis Hieronymi Faſuli MDCLXXXXIII.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI CALIPHANI
PRÆFATIO
AD LECTOREM.

EQuidem neſcio quonam fato hac tempeſtate contigerit, vt Poetice liberalium facultatum nobiliſſima tanto ſit apud noſtros homines in faſtidio, atque deſpectu; vt omnibus ſuis cultoribus non modò non prodeſſe, ſed potiùs obeſſe videatur. Scilicet præterierunt fœlicia illa tempora, cùm ſummo Poeſis in honore ha-

habebatur,& pretio;magnaque Poetis præmia decernebantur:cum lauri Imperatorum æquè, ac Poetarum capita decorabant;Martiſque pariter,& Apollinis præclara erant inſignia. Nunc autem neglecto ingenuarũ diſciplinarũ ſtudio, & gloria,quæſtuoſis tantùm artibus cura inſumitur, labores impenduntur. Sed illud planè mihi ſtomachum, riſumque mouere ſolet, quod blaterones aliquot impudenter effutiunt: nimirùm eos, qui Muſarum delicijs vel minimùm delectantur, profitendæ, exercendæque Iuriſprudentiæ eſſe prorſus ineptos. Quaſi verò ad cauſas agendas, liteſq; vel inſtruendas, vel iudicandas ii nequaquàm eſſent idonei, quibus ingenium, ac mens diuinior ineſt. Verùm enim verò hanc eruditis Viris calum-

niam

niam intendunt non nulli de foro rabulæ, ac leguleij, qui cùm bonas literas ne per ſomnium quidem aſpexerint; eamque ipsã, in qua verſantur, artem omninò neſciant, circumforanea quadam, hauſtaq; de triuijs doctrina fucum faciunt imperitæ plebeculæ; inanemque popularis auræ plauſũ captantes, laureolam in muſtaceo quærunt. Nempè alijs vitio vertunt ea ſcire, quæ ipſi ignorant: propriamque ſe poſſe inſcitiam excuſare opinantur, alienã damnando ſapientiã. His ſanè ſordet Poetice, omniſque politior literatura: ab his malè audiunt Poetæ; & in odium, inuidiamque apud vulgus vocantur. Verumtamen docti omnes, & æqui rerum æſtimatores nunquam non venerantur eximiã, ac propè diuinam Poeſeos di-

gnitatem: perſuaſumque habent, Iuris ſcientiam, ac reliquas diſciplinas illius ſocietatem non ſolùm non dedignari; verùm etiam appetere. Siquidem poetica ſtudia ſeueriorú aſperitatem condimento mitigant amœnitatis: Hominumque animos vel forenſibus diſtentos negotijs, vel publicis, priuatiſque occupationibus attritos, ſubſeciuis horis paululùm feriatos recreant, atq; reficiunt; vt alacriores deindè ad grauiores cogitationes iterùm capeſſendas euadant. Quin etiam Cauſidicorum, Oratorúque facultatem haud parùm adiuuãt, perficiuntque. Quid? quòd veteres etiam Iuriſconſulti, qui omnibus erant exquiſitis literis perpoliti, Poeticen maximoperè coluerunt: & cùm Græcorum, tùm Latinorum Poetarum autho-

thoritates tanti æſtimabant ponderis, atque momenti; vt illorum teſtimonijs tanquàm ex tripode oraculis ad ſuas leges quodammodo ſtabiliendas, confirmandaſque ſæpenumerò vterentur. Innumera poſſem hic argumenta ſubiungere, quibus Poëſeos innocentiam à maleuolorum cauillis, iniuriaque vindicarē; eamque omnibus ſcientijs, ac præcipuè Iuriſprudentiæ non modo impedimento non eſſe; ſed etiam ornamenti ſimul, & adiumenti multùm afferre demonſtrarem: Sed lubens, volenſq; prætermitto, tùm quia ſatis per ſe res ipſa loquitur, tùm vt ne meā etiam egomet cauſam agere videar; quandoquidem

& me fecere poetam

Pierides: ſunt & mihi carmina.

His porrò de cauſis Ioſephus Macri-

nus ſingulari vir præditus virtute, atq; eruditione quàquàm iam indè à puero Poeticæ non minùs, quàm Iurisſcientiæ, cæteriſque ingenuis artibus, in quibus eminet, operam nauaſſet; plurimaque, & cedro digna poemata cùm Latino, tùm Etruſco ſermone panxiſſet: cuiuſmodi eſt Fabula ad Plauti morem, ſtylumque compoſita, ac Mortuus inſcripta, quæ in manibus Amicorum communi omnium plauſu verſatur: ſtatim tamen atque barbarum ſeculi Muſis infenſi genium nouit, non ſolùm Muſas, totumque deſeruit Heliconem; verùm quoque poetā ſe fuiſſe vnquam, penitùs iuit inficias. At verò non potuit vſque eò ſuam tegere in Latinè ſcribendo præſtantiam, quin cunctis innoteſceret, atque adeò ſua non

poſceretur opera, quotieſcumq; eſſet occaſio; ſeu Principum, illuſtriũq; Virorũ funera laudationibus honeſtari, & ſepulcrorum inſcriptiones fieri, ſeu publicæ erigi monumenta deberent. Porrò autẽ quæ olim vel rogatus, vel genio indulgẽs carmina cõdidit, nũc demùm edere conſtituit, & vt Amicis, qui ſæpè eum ad id quà ſuaſionibus, quà precibus inuitum ferè impulerunt, tandem aliquando obtemperaret: & vt liber hic, qui ſola Veſuuianæ hiſtoriæ tractatione nimis erat exiguus, illorum adiectione fieret grandiuſculus. Pauca tamen ex pluribus in lucem prodire, ne mireris: Nam Author amiſſo omnium, quotquot vnquam cõſcripſerat, vnico carminum exemplari, ſub ruderibus ſuæ domus quinto ab hinc anno terræ-

motu collapſæ, dirutæque ſepultó, vix hæc dumtaxat, quæ fortè adhuc memoria retinebat, literis iterùm mandare potuit: Comœdiam verò in publicũ proferre noluit, quòd ſibi minimè ſatisfacere videretur. Cæterùm nec ſibi Macrinus, nec ſcriptis ſuis à Zoilorum familia quicquam metuit. Ecquis enim audeat obtrectationibus eum inceſſere, quem propter animi candorem, morumque ſuauitatem, nemo vnus eſt, qui non diligat, beneuolentiaq; non proſequatur? Aut quotúſquiſque eſt, etſi cornicũ oculos confixerit, qui pulcherrima hæc poemata poſſit maledico dente carpere? Profectò ea eſt dictionis elegátia, is verborum delectus, ea rerum varietas, & magnitudo, is ſententiarũ ſplendor, ea numerorum dulcedo, atque

que maieſtas; vt omnibus eloquentiæ, ingenijque luminibus interlita mirabiliter colluceant: itàque in illis excellit Author venæ facilitate, ſtylique nitore; vt Salmonium quoque Macrinum, quem Gallia velut alterum iactat vel Horatium, vel Martialem, non æmuletur modò; verùm etiam, niſi me mea fallit opinio, longè ſuperet; immò verò ad veterum Poetarum gloriam peruenire videatur. Hæc ſanè eſt recta Latinè ſcribendi ratio, ex intimis aurei ſeculi deprompta ſacrarijs, aſſiduaq; perfectorum ſcriptorum lectione comparata. Abeant autem in malam crucem literatores illi, qui Latinè neſcientes natiuam Romanæ linguæ ſynceritatem, aut obſoletorum rubigine, aut nouorum barbarie vocabulorũ turpiſſi-

piſſi-

piſſimè contaminarunt: fœdumque prorſus, & inſolens inuexerunt ſolutæ, vinctæq; orationis genus. Quãobrem non mediocrẽ carmina iſthæc tibi, quiſquis ea leges, & vtilitatem afferent, & voluptatem. Sed nihil eſt, quòd te diutius morer.

Deſcribit amœnum vndequaque è Capreis proſpectum.

Ad Clariſſimum Virum

THOMAM CORNELIVM.

EPISTOLA.

AVia, Cornelì, Caprearum ſaxa peragro,
Olim Cæſarea ſaxa ſuperba domo.
Arduus hinc omnes quaſcumq; ego voluar in oras,
Terras, & tractus vndique ſpecto maris.
Seu libet in partes conuertere lumina eoas,
Longa mihi tellus, & ſpatioſa patet;
Primaq; ſe ſe oculis cultiſſima pandit Amalphis,
Vſum magnetis, quæ quoque prima dedit.
Ante aſtris rexere rates, nunc indice ſaxo
Per certas nautis iam licet ire vias.

Po-

Pone illam curuum eſt pelagus, veteriſque Salerni
Moenia in ęſtiuo non adeunda cane.
Hinc patet vndoſus longo cum littore pontus,
Et, iacet infœlix quà Palinurus, aqua.
Æquora ſpectantur lybicumlatiſſima ad auſtrum:
Quorum Vaſtities allicit ipſa oculos.
O ego ſi tantum benè culti ruris haberem!
Nullus me toto ditior orbe foret.
Si verò ad Caurum vertar, ſeptemque Triones,
Se Campanæ offert ora beata plagæ;
Maſſa prior, colleſque oleæ, bacchique feraces,
Dein Surrentinæ templa vetuſta Deæ:
Hinc Stabiæ veteres, & quo te carmine dicam
Vesbie, te vino mons generoſe tuo?
Dicaris licèt ingentes egiſſe ruinas
Ignibus, & vomitu ſæpè calentis aquæ;
Quòdque duas ſaxis populoſas ſupprimis vrbes;
Et pecudum, atque hominum cæde cruentus eas:
Tu tamen hæc pretio parili tua damna rependis,
Copia, & inuicti nobilitate meri.
Quis te crediderit voluentem è vertice flammas
Frugifera circum vite virere tamen?
At tu mundus eas, montiſque intactus arenis
Sebethe, o patriæ fons ſinuoſe meæ.
Te quoque ſpectio libens auibus, diu ſque ſecundis;
Deliciſque hominum condita Parthenope.
Cernis, vt immenſi repleat vaſta æquora campi;
Quantum non vertant millia multa boum:

Cer-

Cernis, vt interius colles aſſurgat in altos,
Et læto inſideat conſpicienda ſinu.
Seu libet occidui ſectari lumina ſolis,
Me plaga Pauſilypi delicioſa tenet.
Neſiſq; & Prochites, calidiſque Ænaria thermis,
Cumæque, & Baiæ, & Puteolanus ager.
Cætera quis narret? neq; enim cõprehendere fas eſt,
Quàm Latij pateat longius ora ſoli.
Et ſunt plura quidem longo diſtantia tractu,
Quæ vicina tamen reddier arte queunt.
Arte tua, Galilæe, tuis miracula vitris
Cernimus humanam vincere digna fidem:
Nam tubus in longam ſenſim protenditur vlnam,
Cui lentes hærent vitreæ vtrinque tubo;
Altera conuexum, leneimque politur in orbem,
Oſtenditque cauos altera tacta ſinus:
Scilicet admoto huic oculo iam machina reddet
Proxima, quæ cernes, & tibi clara magis.
Macte illo turrita tuo florentia ciue.
Dignius humanum quid dedit ingenium?
At tu dulce decus, Corneli *candide, noſtrum*
Quid geris interea? an te tuus hortus habet?
Hortus, cui veteri cedat cum laude lyceus,
Sedem vbi conſpicuam docta Matheſis habet.
Vt viret? vt nimios benè ſuſtinet ille calores;
Dum Leo feruenti ſidere torret agros?
Vos illum Muſæ valido defendite ab æſtu,
Vos datè ſacratum dulce virere locum.

Vt

Vt domino Sophiæ rimanti arcana repoſta
Sufficiat gratas arboris vmbra moras.

Neapoli elapſus poſt terræmotum anni 1688. ſcribit

Ad diſertiſſimum

D. NICOLAVM CARAVITAM

E P I S T O L A.

Viuimus extorres, patrijſque è ſedibus vltrò
Pulſi, & in ignoto cogimur eſſe loco:
Nec tamen exilij cauſas mens conſcia ſecum
Inuenit, aut crimen, quo premar, vſque patet.
Muſæ noſter amor, ſolatia noſtra fuere,
Aſcræique lacus, Aoniumque nemus:
Non ego turbaui ſociati fœdera lecti,
Noſtra nec humano ſanguine dextra madet:
Vt ſontem vltrici plectant me fata flagello,
Et natura reo bella ciere velit.
Vidi ego nutantem trepida vertigine terram,
Pulſumque (horrendum) ſubſiliiſſe ſolum,
Atque domus clades, & tecta ruentia noſtræ
Vidi: eheu domino non benè tuta ſuo.

Mul-

Multa mihi uilis ſimul, & pretioſa ſupellex
Saxorum perijt dilacerata ſtrue.
Quantum eſt quod deſit! vix corpora nuda periclo
Erepta, & ſpatium vix datur effugij.
Quid porrò, Nicolae, *putas? ceſſiſſe dolori*
Cenſes me, aut nimijs obriguiſſe malis?
Crede mihi, tanti verſatus turbine caſus
Riſi, & adhuc rerum rideo ſæpè vices
Quippè modò euaſiſſe detur, nec fracta ſupellex;
Nec fuga me, aut ſubitò diruta tecta mouent.
Hæc peritura homini ſunt tradita ſorte, hominique
In tanto exiguus ſufficit orbe locus.
Illa tamen me cura tenet, quòd pulſus ab vrbe
Teque, tuoque ſimul colloquio ſpolier.
Quis mihi tam docti conſeſſus ſubſtulit vſum?
Quis fructus arcet dulcis amicitiæ?
At vos, ſacra pijs ſi thura adoleuimus aris,
Numina, in humanam commoda ſemper opem.
Annuite, & tantis iterùm me ſiſtite amicis,
Atque breue hic noſtrum ſit, precor, exilium.

A D

AD DIDACVM VALLETTAM I.C. Ioſephi Filium, Vici Æquenſis æſtiuantem.

EPISTOLA.

OTia te Vici Æquenſis, Valletta, morantur,
Oraque littoribus deliciosa ſuis:
Et ſeu montanas libeat tranſcendere ſiluas,
Et petere vmbroſi luſtra repoſta loci:
Seu libeat parua percurrere marmora cymba,
Et ſtruere innocuis piſcibus inſidias:
Iucundè æſtiuos pergis vitare calores;
Nec tibi tam ſæuus fulget ab axe Leo.
At nos vrbanis circum torremur ab auris,
Et toto in tectis cogimur eſſe die.
Frigida nocturnæ non ſibilat aura quieti,
Et feſſa exiguus lumina ſomnus habet.
Tantùm colloquijs horas fruſtramur honeſtis,
Et fugimus vaſta tædia longa moræ.
At tuus intereà genitor feſtiuus amænè
Voce illa altiſona clamitat vſque ſua.
Et modò nobiſcum rixas exercet amicas:
Nunc pacare iocis iurgia noſtra ſolet;

Aut

Aut nimiò indulget genio, pluteóſque reuoluit,
Perque ſuos velox itque, reditque libros.
Angl ca nunc ſtudio, nunc Græca volumina tractat;
Sepiùs aſt illum Gallica ſcripta tenent.
Sæpè etiam quando occiduus ſol explicat vmbras,
Et veſpertini ſideris ora micant,
Grata ſuburbani petimus loca læta receſsus,
Quà ſit vix hominum ſemita facta pede.
Illic nocturnas longùm ſpatiamur in horas,
Si quando faueat lumine Phœbe ſuo.
Perpetui ſermonis adeſt Galizius *author,*
Iungere qui doctis ludicra verba ſolet:
Et Caliphanus *adeſt Muſarum cultus amator,*
Et qui faſtidit ſingula noſter Acis.
Sed ſine te nulla arrident ſolatia amicis;
Et deſiderio tangimur vſque tui.
O vbi ſunt, Valletta, *tui riſuſque, iocique,*
Et non ſpernendo ſcommata ſparſa ſale.
O vbi mos vllo nunquam turbabilis æſtu,
Aut quem lætitia, aut quem dolor ipſe mouet;
Ergo ſiqua tui retinet te cura Macrini,
Nil mihi reſcribas; attamen ipſe veni.

I In

In morte

D. CAROLI BVRAGNÆ

Eruditiſsimi Viri.

ELEGIA.

HOC erat, inſolito nuper quod florida Pindi
Squallebant luctu, mœſtitiaque iuga?
Hoc erat, exiguas quod fons aganippidos vndas,
Turbataſque ſacro gurgite fudit aquas?
Et laurus viridi ſemper circumdata amictu
Atrata viſæ ſunt modò fronde tegi?
Stilicet ille ingens muſarum cura recenti
Clauſerat extremum morte Buragna *diem,*
Per quem Parthenope longè, lateque ſonabat:
Parthenope egregio vate ſuperba ſuo.
Qui poterat dulci tigridas compeſcere cantu,
Et vim præcipitem ſiſtere euntis aquæ.
Teſtes Sebethi latices, colleſque propinqui,
Noſtraque ab exitio littora mæſta ſuo.
Flerunt Caſtaliæ phæbeo in monte ſorores,
Aurataſque manu depoſuere lyras:
Nec modò Pierides iuſtas fudere querelas,
Cunctaque cum turbis Cyrrha canora ſuis:

Ipſa

Ipſa etiam Sophia humani licet inſtia luctus
Extinto indoluit, congemuit que viro.
Crudeles nimium Parcæ, atque immania fata;
Præclaris cæptis inuida fata nimis;
Per vos, quæ dudum Carolus *commenta parabat,*
Extremam autoris non habuere manum.
Quaſque nouas valuit rerum cognoſcere cauſas,
Mors cita venturis tradere poſſe negat.
Scilicet illa vni ante alios infenſa Buragnæ
Fortuna, indignis prodiga ſæpè viris.
Haud contenta ſuis viuum inceſſiſſe ſagittis,
Pergit ad extremum lædere velle diem.

Vindemiæ luſus.
AD VILLICAS.

LVdite fælices ruris bona turba coloni;
Nec violet veſtros vis inimica iocos.
Ludite, iam rediit noſtras autumnus in oras,
Cinctus pampineæ frondis honore caput;
Et iam de ſumma nigreſcere cernitur vlmo,
Atque vltrò carpi penſilis vua petit:
Nec mora dum virides trahit illa intacta racemos,
Nullaque ventorum damna timenda tulit:
Sæpè etenim varij ſubit inclementia cæli,
Turbineque, aut rapido perdidit imbre metum.

Nunc ne vltrà flabris anni ſpem fidite, neuè
Furibus agrorum credite diuitias.
Intereà, dum feruet opus, pater igniger Euoe
Arua per, & vineas ingeminare libet.
Et libet in muſto calidos verſare lacertos,
Sanguineoque libet tingere crura mero.
Vos quoque nobiſcum nuptæ, innuptæque puellæ
Innocuis mixtas luſibus eſſe licet.
Hanc legem Deus ille dedit; luſiſſe puellis,
Orgia dum celebrant, noluit eſse ſcelus:
Quin ſpectante viro eſt alium fas tangere, & illi
Abſque metu blandas dicere nequitias,
Semique nudatas latis diſcurrere campis,
Et veſtem ſummum tollere ad vſque genu.
Sæpè tamen moneo (vos ne irridete monentem)
Diligat vrbanum villica nulla virum.
Nulla his certa fides, conturbant omnia fraude,
Verbaque vix vllum ſubdola pondus habent,
Vos dum iure manent, floreſque, & lilia dicent,
Aurataſque roſas, deliciumque ſuum.
Sed non tam teneras preſſit vindemitor vuas;
Cum ſtudet in patrios cedere quiſque lares,
Et ſtatim excefsere animis, & pectore amores;
Nec tam flagranti, quo prius, igne calent.
Ah tunc quam multas fundet deſerta querelas,
Si quæ incauta malo capta puella dolo eſt.
Sed fundet fruſtra: interea deſpecta manebit,
Et iuuenum patrio non bene grata choro.

Author

Author prima ætate morbo hypocondriaco correptus,

ſcribit

AD THOMAM CORNELIVM

Celebrem Philoſophum.

CARMEN.

QVod ſcelus ò ſuperi? quæ ſordida crimina tandē
Sūt ea, quæ luimus? quæ turpis culpa? quis error
Me premit, & veſtras vltrò mihi concitat iras?
Sæua Lycaoniæ nunquam conuiuia menſæ
Concelebraſſe feror; nec ſummum Pelion altæ
Arguor impoſuiſſe feris cum fratribus Oſſæ.
Scilicet inſontem, noxaque, et labe carentem,
Et ſceleris puram ſtudui traducere vitam;
At nunc nil meritum tale, & nil tale verentem
Sęua lues retinet, morbuſque teterrimus angit.
Paulatim infecit lento omnia viſcera morbo,
Innumeriſque malis torquet miſerabile corpus,
Nec datur vlla dies ſine multo læta dolore.
Tu quoque mortales compeſcere ſueta labores

Nox grauis eſſe ſoles, noſtraſq; augere querelas,
Et tu qui placida componis cuncta ſopore,
Somne quies rerum, noſtris inimicus ocellis
Tardus ades, vigileſque ſinis numerarier horas:
Quod ſi inclinarint ſe lumina laſſa quieti,
Triſtia per totam ducis ſpectacula noctem,
Et terrore quatis lacrymantem, et multa pauentē.
Sæpè alta videor pronus decumbere turri,
Sæpè per immenſas emergere naufragus undas,
Aut contis, gladijſque truci deturbor ab hoſte.
Pallidus interea, flauoque ſimillimus auro
Ardet in ore color, penitiſque immerſa medullis
Improba vis morbi tenues depaſcitur artus.
Nec modò corporeum ſatis illi euertere pondus:
Plura animo miſeranda fero, turborque frequenter
Mæſtitia inſigni; non me tunc florida cultu
Cernere rura iuuat: non mobilis æquora ponti;
Nec quod progreditur leni cum murmure flumen:
Quin conſtare parum ſibi mens tunc ipſa uidetur,
Et ſæpè iniuſſi ueniunt in lumina fletus.
Hunc nunquam pepulere loco medicamina morbū
Vlla, nec epotis uehementia pharmaca ſuccis.
Vinci non patitur, nec pugnans uincere mauult.
Incipe ſæua lues tandem miteſcere: uel ſi
Fata uolunt iuuenem, primaque in pube uirentem
Intempeſtiuo ſuccidere uulneris ictu:
Eia age rumpe moras, crudelia iuſſa faceſſe.
Ærumnā hanc uitæ renuo; neq; uita uocanda eſt

Illa

Illa per aſſiduos, quæ ducitur integra luctus.
At cui tanta loquor? quis amica hęc percipit aure?
Tu ſi, Corneli, *me qua potes arte iuuare*
(Nāq; potes liquidò, quid enim tibi poſſe negabo
Cui ſacra panduntur penetralia celſa Sophiæ)
Corpore languentem, atq; animo, macieque pereſũ
Extrema, et certo iam voto ſata vocantem
Reſtitue, et priſco (ſi fas eſt) redde vigori;
Perque tuas viuat vates non peſſimus artes,
Sic tibi cum celeres ætas impleuerit annos,
Parca ſeuera tuum neget interrumpere filum;
Sic tua cum noſtris perdurent tempora votis.

AD DIVVM

MICHAELEM ARCHANGELVM.

SEV nunc aſtra colis, ſummi ſeu iuſſa Tonantis
Exequeris, tranaſque leui per inane volatu,
Reſpice nos, Diue, & mæſtas admitte querelas.
Cernis, vt immineat noſtris ceruicibus ardens

Veſbius, obductaque ferens incendia nube?
Ille ubi prærupto tonuit metuendus hiatu,
Sulphureas cineres, fractoſque ex igne lapillos
Mugitu ingenti virides immittit in agros,
Corrumpitque nouas ſegetes, & prædia vaſtat.
Sæpè etiam cũ magna hominum, pecudumq; ruina,
Poſtquam inter latos efferbuit illa caminos,
Fertur aquam patulo vomuiſſe ex ore calentem.
Quis porrò numerare queat cladem que, luemque,
Quas ferat agricolis, pecori, vineiſque ſatiſque?
Scilicet incertos retinet ſpes vna colonos,
Quam ſuperum pietas auget; ſi ceſſerit illa
Iam patriæ fines, & dulcia linquimus arua.
At tu, cui noſtræ commiſſa eſt cura ſalutis,
Affer opem, Diue, & tanto ſuccurre labori:
Si tibi corde pio celebramus ſacra quotannis
Votiua, & comptis tibi thura adolemus in aris
Sic tu (namque potes) cincreſque, igneſq; coerce;
Aut Borea ſlante immenſum diſperge per æquor
Noſtra vt te præſens fateatur patria numen.

Quæ

Quæ ſequuntur apponenda erant in funebri pompa defuncti

MARCHIONIS CARPII

Neapolitani Proregis.

ERrabat noſtros latè graſſata per agros
Cædibus, et rapto viuere ſueta cohors:
Tu gentem infandam exoſus radicitùs omnem,
Aut vi, aut conſilio deſtruis, HARE, tuo.
Rem tentatam aliis, nulli fæliciter actam
Perfeciſſe tuæ eſt ſedulitatis opus.

Oderat externus noſtræ commercia terræ;
Cui teretes nummi, et nullius vſus erant:
Tu damno occurrens forma meliore notata
Artifici curas ediet æra manu.
Quod ſi alter vitæ cenſenda pecunia ſanguis;
Auxilio nobis reddita vita tuo eſt.

Parce

Parce pijs lacrymis, et iuſto parce dolori
Circumfuſa HARI funere turba gemens.
Si quam ferre poteſt geſtorum gloria uitam,
Is fama, et claro nomine uiuit adhuc:
Viuit adhuc, nomenque erit indelebile nobis,
Et meliore ſui parte ſuperſtes erit:
Et uiuet quantum pietas, prudentia, honeſtas,
Ius, et militiæ uiuet in orbe decus.

In Nuptijs Illuſtris Abellinatum Principis.

DIi meliora ferant, nec germine ſemper ab uno
Pendcat inſignis vita, ſaluſque, domus;
Iamq; preces noſtras ſuperi audiuere: petenti
Venit ab Hiſpano tam noua nupta ſolo.
Tu modo ne celebres numera, noua nupta, tuorum
Laudes, & veterum fortia facta Ducum.
Hoc age ſi ſapis, & cupidum amplexare maritum
Et tumidus grato pondere venter eat;
Tempus erit ſobolis cum iam ſecutus ad arma
Ingenitum robur vertat, & ingenium.
Cernere tunc ſatius liceat, natoſq; virumq;
Non æquare atauos, ſed ſuperare ſuos.

MI-

MICHAELI RVITERO

Clariſſimo Batauorum imperatori colubrinæ ictu circa mare Siculum perempto.

TV quoque littoribus Siculis Dux inclite bello
Æternum moriens das, Ruitere, *decus,*
Quique ante Oceanum fælici claſſe tenebas,
Gurgite in Ionio non ſine laude cadis.
Iam veteres titulos mutauit nauita ponto;
Et Ruitereijs *nomina fecit aquis.*
Sed quænam tantum potuit manus improba factũ?
Aut quæ tanta acrem ſternere tela Ducem?
Inuidus Ætnæis Vulcanus fertur in antris
Fulmen in inuictum compoſuiſſe virum.
Bombo igitur, grandique globo cadit ille perẽptus;
Humana haud poterat namque perire manu.

Lues

Lues gallica iam nimiùm per omnes ſpargitur regiones.

HEů pereat quicūq; noui mala ſemina morbi
  Attulit in noſtrum non ſine clade ſolum;
Et furiæ ipſius vexent ſęuo agmine manes,
  Hiſpanus vir, ſeu Gallicus ille fuit.
Iamque ſuam metuit iuuenis tetigiſſe puellam;
  Et timidos complent ludicra verba iocos.
Nam iocus improbior, Veneriſque integra voluptas
  Certam ſæpe luem, perniciemque tulit.
Pullulat extemplo vitioſa in corpore tabes:
  Inficit extemplo luridus ora color.
Scilicet illa Venus tenerorum mater amorum
  Iam morbi, & peſtis dicitur eſſe parens.

N.N. ad Fratris mortui Iconem.

T*Alis erat vultuque alacer, formaque decorus;*
  Tale capillitium fronti, dum fata ſinebant:
Nunc de te remanet nobis hæc triſtis Imago,
Et quam verus amor fraterno in pectore pinxit.

FOR-

FOELICI ESPINOSIO

Centuriam eruditarum Epiſtolarum Matriti edenti.

NE pigeat totum percurrere lumine librum,
Qui doctum hoc lector voluis epiſtollum:
Singula namque ſuas tibi præſtat epiſtola gemas;
Et tibi quæque ſuas pagina pandit opes.
Sic quoque theſaurus gemmis inſignis, & auro
Pluribus auratis conditur in loculis:
Sic etiam florum benè cultis ſemina in hortis
Spectamus varias ſparſa per areolas.

Deſcribitur fonticulus in rupibus Veſuvianis.

HÆc, quæ montanis de rupibus exilit vnda,
Apta vel extintam ſollicitare ſitim,
Non eſt, vt reliquis in fontibus, illita limo,
Aut per arenoſas effluit illa plagas.

Sim-

Simplex eſt, ipſoque nitet chriſtallina fundo,
Vndique frondoſis tecta cacuminibus:
Circum de ſaxo ſpatioſa ſedilia ſurgunt,
In quibus & ſomni carpere dona potes.
Si ſitis, aut aſtu iam laſſus es, ecce viator
Potum, vmbram, ſedes fons dabit iſte tibi.

Inſulſum poetam, qui turpi carmine Leonardum à Capua offenderat, omnes boni oderunt.

QVis Deus, aut Genius te, vatũ peſſime, adegit
Inſulſis Capuam *lędere carminibus?*
Nec Genius bonus ille fuit: nec vana cupido
A tibi propitijs affuit illa Deis.
Iam liuore tuo turba indignata bonorum
Te malè congeſtis appetit vſque probris.
Vndique famoſi eduntur, volitantque libelli,
Circulus & de te peſſimè quiſque fremit.
I nunc, et cœlum redituris impete ſputis;
Et patere à telis vulnera facta tuis.

IN

IN FVNERE
THOMÆ CORNELII.

SI tibi, Corneli, *vitam, ſeniumque dediſſent*
Longius, & plures ducere fata dies:
Paſſim, quæ fuerant cæcis obducta latebris
Rerum principia, à te patefacta forent;
Omnia ſed prodi metuens natura, ſuperſit
Poſteritas aliquid quod ſpeculetur, ait.

Quos tibi condignos extremo in funere honores
Patria, Corneli, *reddere noſtra queat?*
Illa quidem populo numeroſa, ſituque ſuperba
Externis fuerat conſpicienda viris:
Sed nō tàm populus, non templa, arceſq; per Vrbē,
Quàm tu, Corneli, *ſuſpiciendus eras.*
Aduena te Batauus, te Gallus adibat, & Anglus;
Quæque artes toto gens colit orbe bonas.
Nunc deſerta iacet: tecum decus occidit vrbis;
Tecum Parthenopes gloria prima cadit.

EM-

EMBLEMA

Nauis turgente mari ancora retenta.

QValis celſa ratis, quam multo pōdere fundat
Ancora, dū rapidis turbantur flatibus undæ:
Illa manet, frangitque feras immota procellas;
Et ſua nequidquam committunt prælia venti.
Talis cum prouido reſpublica principe fulta eſt.
Copia, commoditas, æquum ius, faſque vigebunt.
Deſpiciet quaſcumque foriſque, domiq; procellas,
Contemnetque bono quouis rectore periclum.

Quæ ſequuntur appoſita fuere in funebri pompa in honorem Aloyſiæ Borboniæ Reginæ Hiſpaniarum circa D. Claræ parietes, cum pleriſque alijs, quæ memoria exciderunt.

TE queritur raptam primæuo in flore iuuentæ
Cū gemitu, et lacrymis, et fata immania dicit

Re-

Regius amiſſa viduatus coniuge ſponſus:
Tu tamen è ſuperis luctum indignata gementis
Æternum rides, magnoque propinqua tonanti
Tempora longa viro, & fœlicia ſæcla precaris.

Inclita progenies alto de ſanguine Regum,
Ingeniumque ſagax, & pectoris integra honeſtas,
Magnæ animi dotes, & amor, cultuſque mariti,
Si poſſent mortis lethalia tela morari:
Iam nobiſcum eſſes, nec te tam multa dolentum
Agmina deflerent, nec charo in coniuge tantos
Exciſſes quæſtus ò nobilis Heroina.

Præceſſerant eius obitum terræmotus.

Vidimus vndantē valida vertigine terram,
Vulſumq; ex ima ſede mugire ſolum,
Atque vrbis clades, & tecta ruentia noſtræ,
Oppidaque ingenti condita cæde virum.
Quis ſciat an noſtri fuerint prænuncia luctus
Omina regali hæc prauia damna rogo?

Si cęlum diro mortem non indicat aſtro,
Terra index voluit motibus eſſe ſuis.

Occidis, & tecum totos Borbonia ſenſus
Regalis ſponſi, conſiliumque rapis.
Quod facinus Parcæ immanes crudele paratis?
Vna tentaſtis perdere morte duos.

Quæ tibi conſtruitur moles operoſa ſepulcri
Coniugis officio ponitur illa tui.
Si formare ſuo æqualem tibi vellet amori,
Aurea, & è gemmis illa locanda foret.

Fęlices animæ, quarum in commercia nuper
Venit in elyſiis magna Aloiſa choris,
Vos equidem tanto ornatu gaudetis adauctæ;
At nobis remanent perpetuæ lacrymæ.

Ecquis erit tumuli ornatus, cineriſque ſepulti
Regalis cultus magna Aloiſa tui?

Mille

Digitized by Google

Mille tibi regna ornatum, cultumque miniſtrent
Subiecta, & populi munera mille tibi.
Parthenope flores, ſiculus corallia pontus,
Quæque trahit currens aurea fruſta Tagus,
Et gemmas Peruanus ager, concaſque nitentes;
India diues ebur, balſama, thura ferat.
Quæque tibi incolumi cum votis ferre ſolebant,
Nunc populi præſtent vltima dona tui.

D. Michaeli Arcangelo.

Credite mortales: petijt diſcordia Olympum,
Et bellum eſt ſuperas auſum adijſſe domos.
Lucifer in dominum niſus conſurgere: nam quid,
Dixit, in hoc ſummo me vetat eſſe loco?
Dixit; at inuicto Michaelis robore pulſus,
Perfidiæ pœnas reddidit ille ſua.
Nunc tibi quos pariles ſtatuamus Diue triũphos;
Humanum ſuperant dum tua facta decus.
Eximios potius nos hinc gratulemur honores,
Quos tibi cæleſtis tribuit ampla manus.

Digitized by Google

Viri, & mulieres impari lege iudicantur.

QVid tantũ muliebre viri genus omne notatis,
Et fluxam illius dicitis eſſe fidem?
Si quæ peccauit malè caſta puella, mariti
Exemplo docta eſt eſſe proterua ſui.
Num potius vobis impune in amore vagari,
Et pacti liceat frangere iura thori?
Par data vtrinque fides, par eſt, ſi fallitur, error:
Cur nõ legem habeant fœmina, virque parem?
Vt ſit quęque ſuo contenta puella marito,
Sit vir contentus coniuge quiſque ſua.

Baſilio Iannelli poetica ædenti.

SI vetus illa ſacris conſtaret gratia muſis;
Et prior emeritis vatibus eſſet honos:
Iam tibi phębeæ redimirent tempora lauri,
Et ferres operis præmia certa tui.
Heu piget eximium vatem vixiſſe maligno
Æuo, quo heroum copia nulla datur.

Non

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit,
Quo ingenua tenues arte parantur opes:
Ergo animos tolle, & ſæcla indignare ſuperba;
Et ſi quid libeat ſcribere, ſcribe tibi.

Rure viuendum.

AH pereat quicũq; homines ſecedere in vrbẽ
Et bona iucundi linquere iuſſit agri.
Denſus ibi eſt æther, morbique frequentius errãt,
Et malè prætereunt, & ſine pace dies:
Purior hic Phœbus, ſpirantque ſalubrius auræ,
Et potis eſt vitam viuere quiſque ſibi.
Candida ſimplicitas ſedem hic poſuiſſe perennem
Dicitur, & ſanctæ cura pudicitiæ.
Iam valeant vrbes: & tanta volumina rerum;
Rure mihi liceat viuere, rure mori.

Digitized by Google

IVLIO ACCIANO

Quendam Doctorum hominum obtrectatorem carminibus illudenti.

Illuſtres animæ, quas irreuerentius auſa eſt
Lædere veſani lingua proterua viri;
Cernite quas meritò pœnas nugator ineptus
Criminis admiſſi, ſuppliciumque ferat?
Scilicet arguto iactatus carmine noſtro
Ridiculus tota factus in vrbe malè eſt.
Si vili impoſitus circumferretur aſello,
Tergaque præberet dilaceranda flagro;
Mitius eſſet adhuc conſultum; inhoneſtius vnquã,
Nec potuit quidquam turpius ille pati.
At tu uiue diù ſalſe, & lepidiſſime uates
Magnorum uindex non ſine laude uirum.
Quantum carminibus conflauit dedecus illi,
Ludicra, non diſpar dat tibi muſa decus.

Ad

Ad amicum ſerò nubentem.

TV quoque nupturis ſolitus illudere amicis
Serius hæc eadem iam tibi ſacra paras;
Nonne licet pariles demum tibi reddere luſus?
Hæc res ſi citius rectius acta foret;
Qui potuit primam thalamo indulgere iuuentam
Doctior, & Veneri gratior ille fuit.
Coniugis officium iuueniles exigit annos
Illa ętas ſoboli eſt aptior, atq; iocis.
Aſt utcumque tamen multum tibi turba marita
Debet, & exemplum gaudet habere tuum.
Quæque uelut ſcelus eſt tędas exoſa iugales
Iam putat hoc dignis poſſe licere viris.

De Aucupio.

ARdua pernici tranans per inane volatu
Iam ſibi ab inſidijs tuta uidetur auis.
Nam quæ, tam celeres vincat violentia motus,
Aut quæ res altum tam leuis æquet iter.
At emiſſa ſuo de Sclopo plu[illegible]a grando
Hanc ferit, atq; ſolo [illegible]cit exanimem.
Huccine mortalis [illegible]greſſa potentia curæ,
Aera, [illegible]etras undique ſola tenet.

Ver-

Vertumnus è marmore in viridario D. FRANCISCI MARCIANI Clariſſimi Conſiliarij.

QVid moror hic ultrà cuſtos non utilis horti,
Si curę remanet gratia nulla meę:
Nam dominus (placidi tanta eſt indulgẽtia moris,)
Et poma, atq; hortum cuique patere iubet.

AD FRANCISCVM SOLIMENAM Eruditum Pictorem.

GRatulor his terris, & noſtræ gratulor urbi,
Quæ genuere ſibi, & te Solimena tenent.
Scilicet Argiuis quare inuideamus Apellem
Non eſt; aut celebres Parrhaſij tabulas.
Iam noua lux arti, ſacliſque ignota uetuſtis
Maieſtas operum te ſatagente datur.
Adde quod illecebris muſarum captus amœnis
Electos gaudes uoluere ſæpè libros.
Hinc animi cultus, mens [illegible], inde iuuantur
Ideę ſtudijs, ingenioque manus;

Vtile

Villæ inſcriptio.

SI non ampla domus, nulliſque ſuperba colũnis:
Apta tamen domino ſufficit ipſa ſuo.
Si non latus ager; tamen uuas cultus abundè,
Et frugi menſæ mitia poma dabit.
Hoc certè innumeros, urbiſque, forique labores
Vnde leuet facies præſtat amæna loci.

De Vbertate regente D. Gaſpare de Haro.

VIſa eſt ubertas tecum veniſſe, nec vnquam
Pinguius aſſuetas arua dedere fruges,
Baccus abundè uuas; ſua pleno copia cornu
Viſa eſt per noſtrum dona tuliſſe ſolum;
Nec iam ſortis opus fuit hoc, tulit omnia tellus,
Omnia conſilijs aucta fuere tuis.

(.ſ.) (.ſ.) (.ſ.)

In Medicos.

Omnia ſi certa plectuntur crimina lege
Quas maneant Medici modò veſtra piacula pęnas,
Qui plerumque ipſo facitis medicamine morbum,
Et nigro ante diem ęgrotos demittitis orco?
Scilicet hoc vobis indulſit opinio, rerum
Vna potens; homines mactare impunè per orbem
Mercedemque alieno obitu, laudemque parare.

Vulgarem amorem negat ad Amicos.

NEſcio quid ſit amor: nec vos credetis amici,
Credite: vera loquor, neſcio quid ſit amor.
Namque ferunt magno correptos numine amoris
Deſipere, & multo ſæpe furore capi.
Atque dies lacrymis, noctesque agitare querelis,
Imaq; ſollicito corda timore premi.
Et facie exangues nutu pendere alieno,
Atque aliȷs potius viuere, quam ſibimet;
At mihi concinnæ arridet præſtantia formæ,
Et benè diſpoſitum corpus, & ora placent.

Sic

Sic quoque proſpectus fluuij me tangit amęni,
Sic quoque flos lepidus, ſic quoque lętus ager;
Iſta placent tantum, nec quidquã me mouet vltrà
Si hoc dicetur amor iure vocabor amans.

Ad Dominicum Andream de Milo Neap. poetica primùm edenti.

LEgi primęua ingenij monumenta feracis
Muſę primitias optime Mile tuę;
Miratuſque fui, quę ſit tibi copia rerum
Quantus in ornanda ſpiritus arte detur.
Macte animo iuuenis cęptis inſiſte decoris
Surgis in Aonio ſpes noua Mile Choro.
Semper dulciſonos aluit Sebethus olores
Syrenumque melos prodijt è tumulo.

In-

Inſcriptio apud Cannas.

CAnnenſes campos prę teris viator.
Romana olim clade nobiles
Legionibus ſocijſque ab Annibale, & Penis
Occidione deletis
Videre hic fuit iniuſte ſe habentem fortunam
Cõſule moderatiore perẽpto, cõtumaciore incolumi
Quid ? ſi diſſimiles ab initijs
Rerum ſpectes exitus ?
Victrix demum ea pars fuit, quę propior periculo
Victores non vicere, quia vti neſciuerant victoria.

FVLVIO CARACCIOLO Regio Conſiliario
Æquè genere, ſcientijs, & probitate claro
Eruditę iuriſprudentię conſultiſſimo
In hiſtorijs ad miraculum verſato
Propere vita functo amici poſuere męrentes.

Omnes eum amarunt boni
Mali nec etiam odiſſe potuerunt.

FINIS.

1455826

Digitized by Google

Digitized by Google